9

FRIDERICI HOFFMANNI
DE DIFFERENTE ARTIS
MEDICÆ
ET
MEDICORUM
CONDITIONE AC STATU
ET
CRITERIIS BONI AC PERITI MEDICI
PRÆFATIO;

OPERUM SUORUM OMNIUM
EDITIONI NUPERÆ
IN FOLIO
PRÆFIXA,

ET IN USUM PRIORIS EDITIONIS
EMPTORUM,
IN QUARTO
NUNC PUBLICI JURIS FACTA.

LONDINI:
Impenſis *Gulielmi Meyer*, ad Inſignia *Boerhaviana*, in vico
dicto *The Strand.*
M.DCC.XLI.

PRÆFATIO
FRIDERICI HOFFMANNI
DE DIFFERENTE
ARTIS MEDICÆ
ET
MEDICORUM CONDITIONE AC STATU
ET
CRITERIIS BONI AC PERITI MEDICI.

MAGNA ſunt elogia ſplendidique tituli, quibus medicinam à multis paſſim condecoratam videmus; nullum tamen, me judice, majori jure ſaluberrimæ huic arti tribuitur, quam quo ab optimo medicinæ parente *Hippocrate* divina appellatur. Et recte quidem: quia ſapientiſſimus univerſi conditor non modo in triplici naturæ regno, ad valetudinem tuendam, omniſque generis morbos profligandos, remedia recondidit aptiſſima, ſed & ipſam corporis humani naturam tam ſapienti conſtruxit ratione, ut determinato quodam motuum ordine, ſe à tetra corruptionis labe & imminente interitus

 periculo

periculo vindicare poſſit quam optime. Quin imo ipſe Deus in ſacris literis ſe medicum profitetur, & Chriſtus benigniſſimus generis humani ſervator, quamdiu inter homines egit, nullam magis artem, quam medicam exercuit, ut ideo tum animæ, tum corporis medicus exſtiterit præſentiſſimus. Et profecto, ſi benefaciendo, ut conſtans fuit ſapientum ſententia, homo ad Dei naturam proxime accedit, ego certe, an ex ulla doctrina, ſi cœleſtem exceperis, majora in genus humanum beneficia, quam ex medendi ſcientia poſſint redundare, non perſpicio. Quid enim præſtantius, quid optabilius, quam corpus humanum, ſublime illud immortalis ſpiritus domicilium, diu ſanum ſervare & integrum, & non modo dolores corporique pariter ac animo infenſas ægritudines avertere, ſed mortem quoque diutiſſime arcere? Sat graves igitur rationes habuerunt veteres, quibus inducti, medicinæ inventores in Deorum numerum retulerunt; & quare primi & præſtantiſſimi heroes, qui populis præfuerunt, inque graviſſimis bellorum tempeſtatibus fortitudinis documenta dederunt, ut Chiron Centaurus, Palamedes, Achilles, Machaon & Podalirius vel docenda arte, vel diſcenda & exercenda eadem occupati ab illis deſcribuntur, qui plurimum illis adjungere laudis & honoris voluerunt.

At vero, quo nobilior, quo excellentior hæc eſt ſcientia, eo magis cum *Hippocrate* dolendum eſt, *propter ignorantiam eorum, qui eam exercent, & propter eos, qui temere de medicis judicant, rem eſſe viliſſimam, omniumque opprobrio expoſitam*; ſiquidem in nulla fere profeſſione, tanta artificum ignorantia & multitudo conſpicitur, quam in medica, dum quiſque fere, vel ex infima etiam plebe, ſe medicum profitetur, & medicamentum adverſus certum morbum jactitat; quare ſcite *Plinius lib.* 1. *cap.* 29. ait: *in hac arte ſola evenit, ut cuicunque medicum ſe profitenti ſtatim credatur, cum tamen periculum ſit in nullo mendacio majus.* Verum enim vero, ut ut ignarum vulgus medici nomine indignum prorſus æſtimandum ſit; datur tamen, etiam inter eos, qui medicinæ addiſcendæ

addiſcendæ & faciendæ ex inſtituto quaſi ſe manciparunt, ingens admodum differentia, dum auctore graviſſimo *Hippocrate loc. cit. multi fama & nomine medici, re autem vera & opere pauci dantur*; & *lib. de veter. medic.* ait: *ſunt ex iis, qui medicinæ operam dant, alii leves, alii multo præſtantes; ut enim aliarum artium opifices plurimum inter ſe differunt, ſic etiam in medica evenit arte.* Atque hoc ipſum in omnis generis diſciplinis certo obſervari, ſatis in propatulo eſt. Neque enim omnes, qui cœleſtem doctrinam profitentur, rerum divinarum cognitione earundemque tradendarum ac tuendarum dexteritate ita æquales ſunt, ut ut venerandum nomen theologorum æquo jure mereantur: nec omnes, qui cauſas in foro agunt, ſtatim jure conſultorum nomen merentur; nec denique, qui agros vel turres metiri, aut ædificium exſtruere didicerunt, mathematici habendi ſunt: ſed longe utique plura & majora requiruntur, quæ efficiant, ut tam pulchris tamque honorificis appellationibus, quibus exornari plerique geſtiunt, peritorum judicio digni exiſtant. Quæ vero cum ita ſint, & in medicina, perinde ac in cæteris diſciplinis, non omnes, qui per vicos obambulando ſeſe fatigant & morborum curationes ſuſcipiunt, veris ac peritis accenſeri medicis debeant; operæ omnino pretium fore arbitror, paulo accuratius diducere, quænam ad nomen hoc cum laude obtinendum deſiderentur; unde pronum intellectu erit, perpaucos, etiam noſtræ ætatis eſſe medicos, qui jure ſibi ac merito hoc nomen poſſint vindicare.

Primum vero præſtantis & periti in arte medica viri criterium, ex ipſa medicinæ definitione, quam *Galenus lib. de præcognit.* prodidit, ubi eam ſalubrium & inſalubrium ſcientiam denominavit, deſumemus; ſiquidem & præfixus medicinæ ſcopus & medici officium in eo unice conſiſtit, ut, remotis vanarum opinionum & præjudiciorum commentis, ex fundata, ſolida & ſufficiente ratione demonſtrare ac ſcienter adſerere poſſit, cur & quare hoc vel illud alimentum aut medicamentum ad valetudinem conſervandam morboſque ſanandos, ſalutare, vel minus tale

ſit

ſit dicendum. Ex quo conſequitur, ſolidam omnium earum rerum cognitionem, quæ tum ad rationalem & demonſtrativam explicationem, tum ad æquum rectumque judicium, de propria ægrotantis natura, morbi cauſa & de convenienti remediorum applicatione formandum ſpectant, à medico deſiderari. Nam ſi ulla in diſciplina, acriori, exquiſito & quaſi ad exactam lancem revocato judicio, (quod tamen non adeo facile, ſed ipſius *Hippocratis* effato difficillimum eſſe ſolet,) opus eſt, certe illud ad artem medicam requiri arbitror. Quicunque enim ægrotantibus vel ſalutaria vult proponere, vel noxia diſſuadere, is non modo propriam ipſius ægrotantis naturam corporiſque conſtitutionem, morbi originem, genium & cauſas, ſymptomatumque rationes, ſed & innumerabilium aliarum rerum & inprimis naturalium, atque remediorum tam à priori, quam à poſteriori, vires ac effectus cognitos perſpectoſque habere debet accuratiſſime. Quo quis enim meliori rerum naturalium cognitione, quo maturiori judicio, tam ob longiorem uſum, quam ob rerum ſalubrium & inſalubrium exquiſitius perſpectam naturam medicus eſt inſtructus, eo certe magis aliis eſt præferendus. Magnifica certe & omnino præclara laus eſt, qua *Thuanus*, hiſtoricorum ille princeps, Hollerium, excellentem quondam medicum & profeſſorem Pariſienſem commendat, quando commemorat, *quod ipſe aſſidua meditatione acerrimum judicium ad medendum attulerit, ut deploratos morbos, & ob feſtinationem ab aliis medicis per vicos vaga curſitatione mulos fatigantibus, minùs cognitos, ſumma felicitate curaverit.* Longe vero aliter imperiti medicorum agunt & ſentiunt, qui in ſola experientia medendi artem repoſitam exiſtimantes, ex hac unice, quid proficuum corpori, vel noxium ſit, cognoſci poſſe arbitrantur; quum tamen & res ipſa doceat, & ipſe antiquiſſimus artis parens confirmet, experientiam in rebus medicis admodum eſſe fallacem. Equidem experientiam in noſtra arte tum haberi putamus, quando in morbo ad datum aliquod remedium, non ſemel, ſed aliquoties fauſtum

vel

vel adverſum obſervavimus effectum, quod quidem cum in ſenſus incurrat, non fallit: ſed in eo fallaciam committi deprehendimus, quod nimis præcipitanter talem effectum ipſi medicamento, ceu veræ & unicæ cauſæ adſcribere non dubitamus, cum plures ſæpe aliæ ad talem effectum producendum concurrentes cauſæ, quas adſequi vel non poſſumus, vel non ſtudemus, ſimul debeant conſiderari. Atque ex hoc falſo principio, uti innumeri fere in rem medicam & artis exercitium, errores irrepſerunt: ita etiam hoc malum maxime deducendum eſſe arbitror, quod omnis fere generis homines, ut ſupra jam oſtendimus, ad conſilia danda artemque exercendam, tam promti ſint atque faciles. Nam medicina empirica tam magnum lateque diffuſum, & epidemium quaſi malum eſt, ut vix ullus à ſummis ad minimos uſque ob eo ſit immunis, ſed quiſque ad curandum paratus expertum remedium deprædicet; id vero cum maximo ſæpius damno, ex quo eluctari, vel in clariori hujus ſeculi luce difficillimum eſt.

Et quoniam medicorum plurimi hanc ſibi viam eligunt, nudæque experientiæ inhærendo, morborum curationes moliuntur, fit omnino, ut ne probabilem quidem, multo minus adæquatam & perſpicuam rationem, quare hæc vel illa ſuaſerint vel diſſuaſerint, poſſint afferre, quin imo ſponte exinde ſequitur, ut tantæ inter medentes diſſenſiones & diſſidia circa remediorum efficaciam etiam nunc vigeant, adeo, ut quod unus in certo morbo probat atque extollit, alter penitus improbet atque rejiciat.

Quot enim noſtro tempore ſunt de venæ ſectionis in intermittentibus, inque exanthematicis febribus; de corticis chinæ & caſcarillæ ad rebelles intermittentes febres profligandas; de medicamentorum martialium uſu in cachexia & malo hypochondriaco; de purgantibus acrioribus in hydrope; de camphoræ uſu interno in malignis & deliriis; de lactis uſu in phthiſi & doloribus podagricis; de mannatis laxantibus circa tempus ſuppurationis variolo1æ, quot, inquam, de horum utilitate & noxa plane

diſſidentes

diſſidentes ac prorſus contrariæ medentum opiniones jactantur, cum tamen omnes et ſinguli, quo ſuam ſententiam defendant, ad experientiam ceu inconcuſſum veritatis medicæ fundamentum, confugiant. Conſultum itaque fore ducimus, ut non modo in veras tantarum diſſenſionum cauſas paulo accuratius inquiramus, verum etiam, quomodo ex hoc labyrintho emergere poſſimus, ſolicite circumſpiciamus.

Primum itaque ſciendum eſt, perpaucos eſſe medicorum, qui de remediorum viribus & operandi modo recte judicandi fundamentum norunt. Plurimi ſunt in hac ſententia, activis rebus, ipſisque medicamentis & alimentis certas, perpetuas & abſolutas quaſdam juvandi vel nocendi ineſſe vires, cum tamen eorum operationes & effectus, re paulo altius perſpecta, certis tantum relationibus & conditionibus nitantur, ideoque limitatæ ſint, adeo, ut pro corporum & naturarum differentia, nec non cauſarum morbificarum diverſitate, neque minus pro diverſo, quo adhibentur tempore, menſura, ordine & modo, multum inter ſe varient ac diſcrepent. Quadrat huc notiſſima illa philoſophorum regula: corpora non agere ſecundum ſphæram activitatis, ſed ſecundum modum receptivitatis.

Ut veritas hujus dicti in re medica paulo clariùs innoteſcat, diverſum alimentorum & medicamentorum effectum, pro diverſitate rerum & naturarum paulo curatius conſiderabimus. Quid quæſo frequentius eſt, quam ut cibi ad ſuſtentandum optimi, ægrotantibus ſummo ſint detrimento? Aqua pura frigida exæſtuantibus fere optima & analeptica eſt medicina; cum corpori ex nimio labore ſudanti paulo largius ingurgitata pro veneno ſit. Infuſum fabarum coffee ſenibus inſignem vigorem, & corpori, & animo fœnerat; juvenibus vero, præſertim fœminis, quorum ſyſtema nervorum admodum mobile, non adeo amicum, ut moleſtum interdum artubus tremorem inducat. Ex medicamentorum claſſe magneſia alba, ubi prima regio acidis ſcatet ſuccis, egregie alvum movet, in aliis, ubi primæ viæ obſeſſæ ſunt viſcido humore, non niſi ventris tormina

mina provocat. Mercurius dulcis eſt præſtans in infantibus adverſus vermes remedium; ſed ubi primarum viarum regio bilioſis, acribus recrementitiis ſuccis ſcatet, deleteriam ſæpe induit naturam. Suaveolentia, ut ambra & moſchus in infantibus ſæpius adverſus convulſivos & epilepticos motus ſummo cum fructu adhibentur, cum in fœminis hyſtericis & animi deliquia, & motus ſpaſticos potius augeant. Medicamenta, quæ nitrum vel opium correctum ingreditur, in illis, qui doloribus & ſpaſmis urgentur, inſigniter ſudorem & exanthemata expellunt, cum in corporibus phlegmaticis & imbecillioribus, retinendo tranſpirationem cum exanthematibus, ſummam perniciem inferant. Vidimus matura venæ ſectione juvenes ſanguineos ad phthiſin valde diſpoſitos, ab ea prorſus immunes redditos, cum alii, phlegmatici temperamenti, ex repetita venæ ſectione in hæmoptyſin & phthiſin incidêre. Spiritus cornu cervi & ſalis ammoniaci urinoſus ſanguinis maſſam omnium conſenſu nimium commovent; nihilo minus ſæpius vidi in hæmoptyſi, in narium quoque & uteri hæmorrhagia optimo cum ſucceſſu fuiſſe hæc medicamenta exhibita. Compertiſſimum porro eſt, à duobus granis reſinæ jalappæ ſolutis vel in pilulam redactis, in quibuſdam vel decem poſſe moveri ſedes, cum in aliis vix decem grana eundem effectum producant. In nonnullis mercurius parva doſi pedum malleolis inunctus brevi tempore movet ſalivationem, cum in aliis & majori doſi id fiat difficilime; idem purgans pluribus unius ejusdemque ætatis oblatum, mirum inter ſe differentes exſerit operationes. Atque hoc ipſum ſimili ratione de reliquis & magnæ activitatis remediis, quæ vulgo heroica dicuntur, tenendum eſſe arbitramur; quare recte dictum eſt ab *Hippocrate in Lib. de priſca medicin. neminem ad medicinam addiſcendam animum applicaturum eſſe, ſi eadem, vitæ & victus ratio, & ſanis & ægris accommodata eſſet; vel etiam, ſi idem ſemper effectus data remedia ſequeretur, quod tamen nullo unquam tempore expectare licebit*; nam alimenta non minus ac medicamenta tam ad juvandum, quam ad nocendum pro

ſe & ſua natura prompta atque parata ſunt; ſed tum demum proficiunt, quando prudenter, circumſpecte, & cum recta ac fundata ratione fuerunt uſitata, alias plus nocent quam proſunt.

Jam vero non immerito movetur quæſtio: in quonam rectus vel perverſus eorum uſus conſiſtat, & quomodo hic evitari debeat? Qua de re, ubi antiquiſſimos & ſummos in arte noſtra viros conſulimus, invenimus inprimis *Hippocratem*, *Galenum*, *Celſum* unanimi conſenſu affirmaſſe: in medicina cum ægrotantium emolumento facienda, non ſolum ad morbum & ejus ſymptomata eſſe reſpiciendum, ſed potiſſimum requiri, ut ad propriam cuique corpori naturam ſive idioſyncraſiam, robur quoque virium, prægreſſos morbos, diſpoſitionem ad morbum à parentibus, inſuper ad ætatem, habitum corporis, diætam & vitæ genus, conſuetudinem, clima, anni tempora, imo ad ipſius morbi tempus & progreſſum animum advertamus, quia pro horum diverſitate, medendi methodus & remediorum operationes multum admodum differunt. Ut rem in pauca contrahamus: medicus in curatione morborum & præſcribendis remediis, ad completam, ſi haberi poteſt, morbi, & ægrotantis hiſtoriam ante omnia debet advertere, quam ſi ex ſana theoria phyſico-medica quoad omnes circumſtantias, & præcipue quoad cauſam morbi & ſymptomatum recte cognoſcendam, reſolvere ſatagit, facile perſpiciet, non certa & ſpecifica quædam ad morbum ſanandum proſtare medicamenta, ſed plura ſæpius, quæ alios juvant, aliis eodem morbo laborantibus nocere. Atque hanc ob rationem clariſſime apparet, non meliorem ad medicorum diſcordiam & diſſenſiones, quas inter ſe alunt maxime de diverſis in hoc vel illo morbo medicamentorum effectibus, componandas viam dari, ac ſi ſemper, ubi fauſtus vel infauſtus in morbis effectus ab iis obſervatus fuerit, is ad circumſtantias in hiſtoriis morborum contentas referatur. Verum vulgus medicorum hæc omnia parum curat, ſed audito tantum morbi titulo, & recenſitis quibuſdam ſymptomatibus, protinus ad præſcribenda remedia properat,

quæ

quæ ipſi vel per experientiam in ſimili morbo viſa vel audita fuerunt ſalutaria, vel mox etiam promptus & paratus eſt ad rejicienda ea, quæ ex perverſo quodam prejudicio ipſi vel audita, vel viſa fuerint noxia.

Deinceps præſtans & peritus medicus ex vera morbi hiſtoria & rebus antecedentibus, primam morbi originem & fontem, à quo ſymptomata ceu effectus profluunt, curate eruere ſtudet, medendique intentionem ad cauſam, maxime proximam removendam dirigit. Verum, qui ſine ratione artem exercent, ſymptomatum magis quam cauſæ rationem habent, & ad illa abigenda omne conferunt ſtudium, & varia atque minus accommodata exhibent. Eſt vero præcipuus ſagacis & rationalis medici character, non multis variiſque, ſed paucis, appropriatis & efficacibus ad morbum profligandum, uti remediis. Etenim cauſæ morborum tam proximæ, quam mediatæ non tam multiplices & diffuſſæ, ſed ſimplices & paucæ ſunt, licet ratione locorum valde diſſidentes effectus producant, ad quas abigendas non tanta remediorum copia & varietate opus eſſe deprehendimus, modo recto ordine, tempore & modo adhibeantur. Longe vero aliter procedit minus rationalis in morborum curatione, utpote qui, ſi exhibitum medicamentum non ſtatim deſideratum exhibet effectum, hoc facile mutat & aliud ordinat; quod ſi iterum expectationi minus reſpondeat, rurſus aliud ſubſtituit. Qua perverſa medicamentorum varietate & multitudine tantum abeſt, ut vim morbi debellet, ut potius ægrotum obruendo, morbum pejorem & contumaciorem ſæpiſſime reddat. Quæ cum ita ſint, antiquiſſimi artis noſtræ magiſtri ſat graves habuerunt cauſas, quare crebriorem remediorum mutationem tantopere prohibuerint, eamque tantum non ſemper inſecuram & ſaluti ægrotantium valde adverſam exiſtimaverint. Ea quippe cujuſvis medicamenti indoles atque facultas eſt, ut corpori inferat mutationem, quæ ſi non apta, ſed aliena, nec abigendæ morbi cauſæ accomodata eſt, longe majores ſæpe concitat turbas, ſalutares

B 2 naturæ

naturæ motus pervertendo. Scite itaque magnus ille Anglorum philoſophus *Verulamius Lib.* I. *de augment. ſcient. remediorum copiam & varietatem ignorantiæ filiam appellavit*; & medicos ad præſcribenda & mutanda remedia tam faciles juſto zelo his verbis reprehendit: *etſi ex opera medicorum quotidiana, quam inviſendo, aſſidendo, præſcribendo ægrotis præſtant, putaret quiſpiam, haud ſegniter illos curationem perſequi, atque in eadem certa quaſi via inſiſtere; tamen, ſi quis ea, quæ præſcribere & adminiſtrare ſolent medici, accuratius introſpiciat, inveniet pleraque vacillationis & inconſtantiæ plena, & quæ ex tempore excogitantur, ac in mentem illis veniunt, abſque certo aliquo prævиſo curationis termino.*

Ego ſæpius à Principibus etiam viris quæſitus, quomodo peritus & præſtans medicus, cui fidere tuto poſſimus, ab imperito diſcerni poſſit, reſponſum dedi, vitandum eum eſſe, qui, antequam veram morbi indolem & cauſam, ægrotique naturam paulo penitius cognoverit, mox ad præſcribenda & ſæpius mutanda medicamenta paratus ſit; commendandum vero eum eſſe, qui, priuſquam ſe accingat ad ordinandum remedium, permultis quæſtionibus habitum corporis & animi, robur naturæ, digeſtionis & excretionis negotium, morbi genium, originem & cauſas remotas ex diæta, vitæ genere & aliis accuratiſſime ſcrutatur, & prægreſſa ſeria meditatione, perpauca cum debito vitæ regimine, ſed diutius continuanda remedia præſcribere conſueſcit; utpote ſemper ſuſpecta eſſe debet nimia medicamentorum mutatio, quam etiam valde improbarunt veteres, id quod *Celſus, l.* 3. *c.* 1. prodidit his verbis: *oportet itaque, ubi aliquid non reſpondet, non tanti putare authorem, quanti ægrum, & experiri aliud atque aliud. Sic tamen, ut in acutis morbis cito mutetur, quod nihil prodeſt: in longis, quos tempus, ut facit, ſic etiam ſolvit, non ſtatim condemnetur, ſi quid non ſtatim profuit, minus vero removeatur, ſi quid paulum ſaltem juvat; quia profectus tempore expletur.* Nam ſi ulla in re & arte ad exoptatum conſequendum ſcopum, temporis exſpectatione atque beneficio opus eſt:

eſt: certe in operibus artis noſtræ valet; nam ad certum effectum præſtandum, ſive ad inſenſum illud, quod motibus vitalibus obeſt è corpore removendum, certa proportione, menſura & numero motuum, qui tempore continetur, opus eſt. Spectat huc Juvenalis dictum: Cunctator debet eſſe, qui de ſalute judicat.

Deinceps prudens medicus in recto adminiſtrandi remedia uſu, maxime omnium naturam corporis debilem & imbecillem à valida & robuſta probe diſtinguere debet; utpote illa & omnibus morbis & gravioribus ſymptomatibus obnoxia eſt, & quam facile à cauſis atque rebus minus amicis offenditur, imo difficulter ſaneſcit, cum naturæ corpora robuſtæ morbum, validaque ad nocendum medicamenta facilius ferre, nec non ſuperare poſſint. Medici itaque periti eſt, non modo naturas robuſtas à debilibus, ſed etiam medicamenta valida, fortiora à debilibus & lenioribus probe diſcernere; nam divus ſenex in *Lib. de homin.* §. 54. perite prodidit, *medicamenta à natura fortiora, quibus vis ſtatum corporis tranſmutandi ineſt, nec in debilibus morbis, nec debilibus naturis dare oportere*; omneſque ſaniorum medicorum ſcholæ quotidie adhuc utiliſſimo hoc monito perſonant; ſed vulgares practici ſaluberrimum hoc monitum non attendentes, nec morbi vehementiam, nec vires ægrotantis imbecilles, nec medicamenti fortiorem effectum conſiderant, ſed ad contumacem & chronicum occurrentem morbum ut eradicetur, vi quadam & vectibus quaſi opus eſſe exiſtimant, & hinc fortioribus ex purgantium, ſalivantium, emeticorum, ſudoriferorum & diureticorum claſſe utendum eſſe, perverſe judicant. Sed dici vix poteſt, quantum damni malo chronico laborantes inde experiantur. Ego ſæpius non ſine dolore, à medicis etiam in dignitate conſtitutis, exitiales à medicamentis, fortioribus & ſæpius repetitis, imbecillimis adminiſtratis, errores commiſſos animadverti, ut ſplendidæ etiam perſonæ, quæ ſecurioribus poterant ſervari, perierint. Ego ſancte affirmare poſſum, me, cum ultra dimidium ſeculi innumerabilibus ægrotantibus profuerim, nunquam non ab omnibus vehementioribus ex evacuantium,

tium, ſedantium & alterantium claſſe, ſedulo & ſollicite tam in morbis acutis, quam chronicis abſtinuiſſe, ſive naturæ robuſtæ, ſive imbecilliores fuerint, ſed lenioribus, ſecurioribus uſu longo exploratis, cum patientia, & expectatione temporis, curationes, benedicente Deo, abſolviſſe feliciſſime. Hac enim ſecura & leniori methodo, innumeros affectione hypochondriaca, melancholica, maniaca, cachectica, ſcorbutica, hydropica, aſthmatica, & intermittentium contumacia laborantes, me integerrime ſanaſſe certe profiteor.

Accedimus jam ad alia criteria, quibus peritus ab imperito medico poſſit diſtingui: hic quippe firmiter ſibi perſuaſum habet, non modo in quovis morbo, certa dari ſpecifica & ſalutaria medicamenta, quæ ceu arcana ſumme extollit, verum etiam medicinas exſtare univerſales, per chymicam artem, ex auro maxime paratas, quarum mirabiles in ſingulis morbis effectus deprædicando, magnam apud ignarum vulgum famam magnumque lucrum aucupatur. At vero eruditus & candidus medicus phantaſmata hæc & ludibria, quæ ex male ſana theoria phyſico-medica proveniunt, ridet, optime gnarus, morborum cauſas & tempora, ægrotantiumque naturas, multum admodum variare; ideoque nec ullum eſſe medicamentum, quod his omnibus poſſit ſatisfacere, multo minus id, quod aurum ingreditur. Siquidem abunde ſatis ex chymicis conſtat, nullum omnino in univerſa rerum natura exiſtere corpus, quod ad medicum uſum ipſo auro minus ſit idoneum, dum à nullo menſtruo liquore, niſi corroſivo, quem ex nitro & ſale communi præparare ſolemus, arctiſſima ejus compages, à qua gravitas, qua nulla major eſt, dependet, diſſolvitur; & falſiſſimum eſt, per inſipida, ut falſo perhibent, menſtrua, intimam hujus metalli ſolutionem poſſe obtineri, quæ tamen neceſſaria ſit, quando in corpore humano effectum debet præſtare.

Neque minus inter requiſita præſtantis atque vere rationalis medici, id omnium maxime debet referri, ut de rebus medicis, per experientiam nondum ſatis cognitis, rectum ferre judicium

poſ-

poſſit. Occurrit ſæpius medenti in artis exercitio, ad conſilium, dandum, caſus plane ſingularis, & propter varia & mirabilia ſymptomata nunquam ante annotatus, ubi diligenti circumſpectione, meditatione & acri judicio opus eſt, ut non modo morbi atque ſymtomatum rationem, ſed aptam quoque & tollendis cauſis accommodatam inveniat methodum. Neque deinceps novum, ſed frequentur obvium eſt, ob peculiarem & extra naturæ ordinem quaſi contingentem tempeſtatum & temporum anni conſtitutionem nova morborum, maximeque febrium graſſantium, prodire ſchemata, quorum commoda ſanandi ratio per experientiam nondum ſatis conſtat, ſed ſollicitam medici de ea invenienda curam omnino poſtulant. Neque hic labor medicum rerum medicarum vere peritum, adeo multum fatigat; ſiquidem hic non minus theoria phyſico-medica, quam neceſſario obſervationum clinicarum apparatu inſtructus, attenta circumſtantiarum ac cauſarum, tam antecedentium quam conſequentium conſideratione, facile poteſt invenire, quænam medendi via ſit ineunda; & num per venæ ſectionem, per laxantia, & per acida ac nitroſa potius, quam per volatilia & ſpirituoſa inſtitui debeat curatio. Quare perite ab *Hippocrate* inter præſtantis medici notas, hanc præcipue in ejus *lib. de priſca medicina* relatam legimus, *ut aliquid poſſit invenire, ſi quando novus, & antea non obſervatus morbus occurreret.*

Notum quoque porro eſt, ſub diverſo climate, v. g. in regionibus ad ſeptentrionem vel meridiem vergentibus, certa dari morborum genera, à diverſi cœli, aëris, victus & vivendi ratione derivanda, quæ pro diverſitate ſua differentem quoque poſtulant ſanationem, dum, optime notante *Celſo Lib.* I. *p.* 8. *aliud opus eſt Romæ, aliud in Egypto, aliud in Gallia.* Quandocunque igitur medicus rationalis, ut ſæpius evenit, locum mutare, & ex Dania & Suecia in Italiam, vel ex hac & aliis calidioribus regionibus ſeptentrionem verſus debet concedere: facile auguratur, ipſa medicamenta ſibi eſſe permutanda, longeque aliam curandi

di methodum excogitandam, dum fortiora & potentis indolis remedia, quorum uſum ſeptentrionales, ceu robuſtioris naturæ incolæ ſine noxa commodiſſime ferunt, calidiorum regionum gentibus, quæ ſenſibilioris ſunt naturæ, nunquam fere non graviſſimo ſolent eſſe detrimento. Accedit adhuc, quod pro temperamentorum varietate, & pro diverſa humorum in diverſis gentibus conditione, medicamentorum quoque operationes mirum in modum differant. Ita Belgis, quorum corpora rudiores habent fibras, minus elaſticas, & difficulter mobilibus ſcatent ſuccis, ſalia volatilia, ſpirituoſa & infuſa calida optime conferunt, quæ Italis contra, quorum humores fluxiliores & mobiliores, ac fibræ magis tenſæ & elaſticæ ſunt, graviter ut plurimum nocent; ſed his anodyna, lenientia, nitroſa conducunt. Id quoque circumſpectum medicum probe admonet, ut in perlegendis medicorum monumentis diligenter attendat, in quanam regione vixerit, cujus ſcripta legenda & imitanda ſibi ſumit, ne forte Belgici auctoris præſcriptas formulas, in iſta regione optime proficuas, ſine diſcrimine, ægrotantibus in calidioribus locis commendare audeat.

Magnum adhuc eſt diſcrimen inter medicum principiis phyſico mechanicis probe inſtructum, & inter eum, qui in utiliſſimis hiſce doctrinis rudis & quaſi hoſpes eſt. Ille enim cujuſvis ſimplicis ex triplici naturæ regno petiti, v. gr. aquarum, maximeque fontium tam calidorum quam frigidorum elementa, principia & vires, licet uſu antea nunquam exploraverit, ex odore, ſapore & analyſi chymica poteſt cognoſcere; & quales in hoc illove morbo, hoc vel alio tempore, & in hac illave corporis conſtitutione effectus exſerere poſſit, prævidere. Quod ut clarius adhuc pateat, exemplum adducere placet. Satis, ut arbitror, per experientiam notum eſt, corticem caſcarillæ in nimiis alvi fluxibus, tam ſeroſis, quam ſanguineis, efficaciſſimam eſſe medicinam: quem effectum & operandi modum rationalis medicus, etiamſi nihil unquam de eo audiverit, ex penitiori,

nitiori, & ſecundum artis leges ſuſcepta hujus medicaminis exploratione, facile poterit cognoſcere. Etenim, quum hicce cortex gratum de ſe ſpargat odorem, & principium contineat amarum, terreum ac reſinoſum, optime exinde anodynam, roborantem & acres humores temperantem colligit virtutem.

Ulterius ſagax & peritus medicus in perſanandis, maxime acutis paſſionibus, non ſolum ad medicamenta eorumque agendi efficaciam, ſed ad beneficium quoque & miniſterium ipſius naturæ, quæ ab antiquiſſimis optima morborum medicatrix dicitur, reſpicit, eo, quod hæc ipſa ſola ſæpius, vel levi tantum arte, aut commoda diæta adjuta, in plebejis, ruſticis & iis, qui medico & medicamentis deſtituti ſunt, populis, ægritudines valde periculoſas, ut peſtem, exanthematicas, varioloſas, morbilloſas & inflammatorias febres depellit quam optime.

Perpauci vero ex medicorum numero ſunt, qui hanc ſalutarem artificioſiſſimæ corporis animalis fabricæ, ſive naturæ à Deo inſitam therapiam agnoſcunt recteque intelligunt, cujus tamen ope non modo ipſum corpus animale, in ſe & ſua natura perpetuo corruptioni obnoxium, per omnem vitam à tetra putredine integrum conſervatur, verum etiam quod ſanitati & vitæ adverſum eſt, per varii generis emunctoria expellitur, amicum vero & utile intus retinetur. Rectiſſime hinc prudens medicus in morbis, maximeque acutis ſanandis, excretionum motuumque præternaturalium indolem, vim & efficaciam, & tempora quibus fiunt, probe ſcrutatur, & num ad ſalutis vitæque tutelam ac ſanitatis reſtitutionem, an potius ad corporis deſtructionem & interitum tendant, probe examinat, eoſque ſi deficiunt, vel excedunt, commoda medicina moderari inque ordinem redigere ſtudet, præſertim quum in hoc naturæ miniſterio recte gubernando, artis noſtræ uſus & potentia quam maxime conſiſtat. Quum vero naturæ motus ordine & tempore ſæpius recto fiant, & per convenientia loca materia corpori infenſa expellatur; ca-

vet omnino prudens medicus, ne forte ſalutarem naturæ ordinem inepta & vehementi medicina perturbet.

Minime vero id attendunt imperiti medici, qui naturæ legum in medendo neſcii, medicamento vel fortiori, vel leniori ſingulis fere horis repetito, ſæpiuſque incongruo hunc laudatiſſimum naturæ ordinem peſſimo ritu intercipiunt, & damnum inferunt præſentiſſimum.

Verum enim vero ſurrexerunt hac tempeſtate celeberrimi nominis viri, qui huic naturæ beneficio nimium pretium tribuerunt, adeo, ut fere rationalis medicina non parum inde decrementi accipiat. Statuunt videlicet, per naturam intelligi debere animam, quæ rationis particeps eſt, & quæ ſumma ſapientia atque arte ipſum corpus formavit; & hinc non dubitandum eſſe, quin eadem ſapientia illud gubernet & conſervet; motus videlicet ita adminiſtrando & dirigendo, ut in ſtatu tam ſano, quam præternaturali, quod noxium eſt, & interitum minatur, per convenientia loca expellatur; indeque concludunt, ad artem exercendam non ſubtili theoria, vel ratione ex principiis phyſico-mechanicis petita, ad explicandas res medicas, opus eſſe; utpote quæ in conſideratione rerum inanimatarum magis, quam in corporibus, quæ ſenſu & cognitione interna prædita ſunt, locum ſibi vindicent; ſed ſufficere, ut medicus tantummodo naturam, per medicamenta pauca & ſelecta, quæ alterandis vitioſis humoribus, & iis per congrua loca blande evacuandis ſerviunt, adjuvet. Licet vero hæc ſimplex & facilis medendi methodus in perſanandis paſſionibus levioribus & quæ facile tranſeunt, & ubi ſatis virium eſt, non improbanda ſit: minime tamen eam ſolam tam in acutis quam chronicis avertendis ac vincendis morbis ſufficere arbitramur, cum natura & hæc methodus benigna in perſanandis contumacibus paſſionibus, ut ſunt lues venerea, gonorrhœa, affectio hypochondriaca, melancholica, maniaca, cachectica, ſcorbutica, hydropica, phthiſica, aſthmatica & diuturnæ intermittentes & anomalæ febres, atque

epileptici,

epileptici, ſpaſmodici motus, parum valeat: & opus hic ſit potentioribus, & multo pluribus remediorum generibus, & magno in applicandis remediis judicio, quod plura requirit ſubſidia.

Verum, ut aperte de hac nova theoria medica noſtram interponamus ſententiam, aſſerimus, artis medicæ objectum neutiquam eſſe corpus, à ſapiente principio formandum, ſed quod jam ſapiente & divina ſemini inſita virtute formatum eſt; cujus motus tantum medicus ſua ſapientia, per convenientem rerum neceſſariarum adminiſtrationem regere debet; ſiquidem motus vitales, qui pure mechanici ſunt, in formato corpore neutiquam amplius à ſapiente interno principio fiunt & ſuſtentantur, neque ad ſalutarem finem in morbis diriguntur; ſed à cauſis mere externis, evidentibus, neceſſariis, puta elementis & alimentis, m dicamentis aliiſque remediorum generibus dependent reguntur & conſervantur: Siquidem deformes poſt vulnera externarum partium relictæ cicatrices abunde docent, nihil adhuc à natura in corpore ſapienter formari. Deinceps notandum eſt, veteres per vocabulum naturæ, vel vires corporis motrices, vel ſolidarum partium ſtructuram, quæ pro diverſa ætate, ſexu, vitæ genere, & diſpoſitione nativa ac hæreditaria varia eſt & mutabilis, tantummodo indigitaſſe, ideoque has res naturales dixiſſe. Equidem non negandum eſt, magnam vim phantaſiæ eſſe vitales motus non quidem efficiendi, ſed duntaxat turbandi & pervertendi, ut videmus in animi affectibus & morbis, qui exinde fiunt; ſed hos pravos effectus, ut in ordinem redigat, nec phantaſia, nec anima rationalis quicquam valet, ſed prudens medicus ac commoda medicina id præſtare debet. Neque unquam veteribus in mentem incidiſſe reor, ut in animantibus ens cognitione interna præditum, omnis generis motus certum in finem efficiens, conſtituerint. *Hippocrates* pluribus in locis id diſertis verbis negat, qui *lib.* 1. *de diæta* §. 6. *de naturis hominum* inquit, *res faciunt, non ſciunt*; *quæ vero faciunt, ſcire ſibi videntur*; *& quæ quidem vident, non cognoſcunt: attamen omnia ipſis ſunt per*

divinam neceſſitatem. Et *lib. de morb. vulgar. Sect.* VII. §. 6. ait, *natura ipſa ſibi per ſe, non ex conſilio, motiones ad actiones ſubeundas invenit à nullo edocta, citraque diſciplinam ea quæ conveniunt, efficit. Helmontius,* qui aliàs multum immaterialibus animæ ideis favet, ab hac ſententia plane etiam eſt alienus; utpote in *Lib. de mort. introitu in natur. human.* lectu digniſſimo §. 10. negat, corpus humanum, quale nunc eſt lapſorum, à mente ad certum finem agente, immediate regi, quemadmodum fieri videmus in iis quæ hominum artificio inſtruuntur & perficiuntur; & ridet hoc in paſſu ipſum *Ariſtotelem* ceu naturæ plane ignarum, quod res naturales cum artificialibus confuderit, dum in his quidem cauſa finalis locum habeat, & ſupponatur artifex, qui media dirigat; in illis vero, ſeu rebus naturalibus locum non inveniat; unde, quicquid in natura fit vel generatur, ſeminum neceſſitate fieri, recte arbitratur, adeo, ut ſemina ſint rerum principia & cauſæ naturales, ac ob fines, non quidem ſibi, ſed ſoli Deo cognitas agant. *Aretæus* hinc recte *naturam artem Dei* appellare videtur. Equidem natura non eſt unum quid, ſive una cauſa, qua animales functiones reguntur; ſed vox eſt, quæ plures complectitur cauſas, & non modo organicam ſolidorum ſtructuram, & peculiarem fluidorum craſin, ſed potiſſimum mutuum atque alternum ſolidorum ac fluidorum motum ſyſtalticum & diaſtalticum, nec non progreſſivum, inteſtinum, ſecretorium & excretorium, item undulatorium & tonicum denotat; quo ſalvo, omnes functiones tam vitales & animales, quam naturales recte ſe habent.

Et quemadmodum in macrocoſmo, animantium & vegetabilium ex ſeminibus evolutio, nutritio, fœcundatio, maturatio, perfectio & vita per motum atque cauſas evidentes mere mechanico-phyſicas, & per elementa, & potiſſimum per aëreo-æthereum fluidum ſolis calore, quem veteres ignem dixerunt, agitatum producitur: ita etiam in microcoſmo id ſimili modo evenire, certiſſime colligitur; cum quotidie obſervemus, quantam mutationem in omnibus corporis humani functionibus vitæ genus,

nus, habitus corporis, diætæ, aëris, temporum anni, tempeſtatum, locorum differentia efficiant, & quomodo etiam ab hiſce rebus animi operationes, mores, inclinationes & ex parte actus rationis varient. Sed non hujus eſt loci & inſtituti, diutius hiſce immorari; id tantum dico; hanc philoſophandi rationem nihil plane ad diſciplinam medicam pertinere, ut de ea ſilere conſultius ducamus. Nam omnem rationis in rebus medicis explicandis, & cauſis morborum inveſtigandis, in quibus tamen omne medicationis momentum conſiſtit, uſum adimit, atque etiam rerum non naturalium & medicamentorum virtutem & operationem in corpus humanum dubiam nec non incertam reddit: namque illa non ex arbitrio animæ operantur, ſed inviolabili neceſſitate, ſi requiſitis conditionibus applicantur, certum ac determinatum effectum edunt. Id unicum adhuc in eorum gratiam, qui medicinam principiis phyſico-mechanicis ſuperſtructam quaſi infamare omni conatu ſtudent, ad bene expendendum addere volo: ponamus, naturam ſive animam rationalem, vitalium etiam & naturalium functionum principium & cauſam eſſe, eas in certum finem dirigendo: ſed tamen eam ipſam nihil prorſus ſine mechaniſmo, id eſt, ſine certa ſolidorum ſtructura & fluidorum diſpoſitione efficere poſſe, certiſſimum eſt. Nam hæc, ſi non conveniente temperie, proportione & ordine ſunt conſtituta, omnia fiunt præter naturam, & verſa vice. Jam vero nihil evidentius eſt, quam quod medicus arte ſua non in animam, ſed in cauſas phyſico-mechanicas, quibus hæc tanquam inſtrumentis utitur, tantummodo operationem & effectum habeat.

Permultum quoque intereſt ſcire, ad boni medici doctrinam, ſtudia & officium minime pertinere, ut ſubtiliori rerum obſcurarum meditationi & cognitioni indulgeat, ſed ea potiſſimum, quæ in ſenſus incurrunt, quæ uſum habent, & de quibus evidens ratio conſtat & dari poteſt, ſectetur. Uti enim multa in rerum natura ſunt difficultatum mæandris involuta, quæ omnem cognitionem

nitionem & intellectus humani aciem exſuperant; ita etiam in philoſophia rerum naturalium & medicarum id contingit: quæ ſecreta naturæ tutius eſt mirari, quam rimari velle. Ad hunc cenſum pertinent, unde vis in quovis ſemine multiplicativa oriatur, & quomodo formatio partium in utero fiat; qua ratione cogitatio & phantaſia in corpus operetur, & rurſus, quomodo ſanguinis conſtitutio & motus, mentis uſum alterare poſſit; item, in quonam ſtupenda vis miaſmatis & contagii in peſte aliiſque morbis malignis conſiſtat; qualis ſit proportio inter naturæ & morbi vires; quomodo ſenſationes fiant in nervoſis partibus; an motus febriles & præternaturales propter cauſam naturæ infeſtam, bona intentione & ſæpius mala inventione; excitentur? Quæ omnia poſſunt tuto à medico ignorari, quia ſine his ad ſanitatem hominem poteſt perducere. Sufficit, ut is per frequentem uſum, attentamque experientiam & ſolidam demonſtrationem & rationem ſciat diſcernere pernicioſa à ſalutaribus, atque rationes phyſicas, licet non geometricas adferre. Accedit, quod hanc maxime ob cauſam nimis curioſa harum rerum imperſcrutabilium indagatio ſit evitanda, quod videlicet non niſi materiam & occaſionem peſſimarum contentionum, litium & altercationum præbeat, quæ medicorum amicam harmoniam & concordiam, in conſultationibus valde neceſſariam, dirimunt.

Ceterum ad ſagacis & præſtantis medici ſcientiam atque officium quam maxime pertinet, ut valetudinem integram, & ab omni morborum inſultu liberam idoneis remediis, ex fonte diætetico potiſſimum petitis, diutius præſtet. Nam inter partes medicinæ diætetica primas omnium tenet, & olim etiam maximi ſemper habita fuit, artiſque certitudinem in avertendis morbis evidenter demonſtrat; cum longe expeditius ſit, corpus à morbis defendere, quam illud corruptum & vitioſum reſtituere. Per remedia vero diætetica ea intelligimus, quæ ex ſinu rerum non naturalium, ſeu abſolute ad vitam neceſſariarum, cumprimis deſumta ſunt. Nam quemadmodum recto harum rerum

uſu,

uſu, vita & ſana, & longa, diu perſiſtere poteſt: ita ex plane perverſo & inordinato harum abuſu, omnis generis vitia & mala in corpus incidere, certa & attenta obſervatione edocemur. Eſt itaque præcipua doctrinæ & ſcientiæ medicæ pars, harum rerum, quibus omni momento ad vitam opus habemus, ex ſolidis phyſicis principiis, intimam cognitionem ſibi comparare, ut quid mali ad morbos procreandos, & boni ad eos avertendos ac ſanandos efficere queant, dilucide addiſcant. Nam & elementorum, aëris potiſſimum, & alimentorum, præſertim ubi à temperie valde deflectunt & ſubito mutantur, maxima vis & poteſtas eſt in corpus humanum, ejus humores & motus immutandi, imo ipſum animum & rationem alterandi. Ideoque dantur morbi certis locis, regionibus & climatibus proprii, & pro diverſa temporum anni, tempeſtatum conſtitutione, & extraordinaria ac ſubita mutatione, varii generis mala enaſcuntur. Non datur itaque certior & ſecurior methodus & præſervatoria, & curatoria, quam per ejuſdem naturæ & generis auxilia, quia ſunt naturæ magis amica, temperatiora, nec vehementia, ſed per gradus & paulatim operantur. Inde etiam factum, ut nulla pars medicinæ, antiquiſſimis quoque temporibus, majori pretio, quam diætetica habita fuerit. *Hippocratis* monumenta, quæ poſteritati reliquit, *Libri de victu acutor. de diæta, Libri epidemior. de natura aëris, aquar. & locor. de alimentis*, id luculenter declarant. *Aſclepiadis* tota ſanandi methodus in recta victus ratione repoſita fuit. Si *Cornel. Celſi* librum quartum evolvimus, in quo fere de omnium vitiorum, quæ in interioribus corporis partibus ſedem ſuam habent, curatione agit, hanc ipſam maxima ex parte mutatione cœli, locorum, vitæ generis, varietate ciborum atque potus, item abſtinentia, variaque corporis exercitatione & motu, fricationibus, balneis, linimentis hunc virum præſtitiſſe animadvertimus. Et inter omnes medicos, qui ſolidi quicquam & laude dignum memoriæ prodiderunt, quos imitari poſſumus, ſunt maxime Itali, ut Sanctorius, Mercurialis, Montanus; & noſtro ævo Ramazzinus,

nus, Baglivus, Lancifius, quia hanc principem artis noſtræ partem, adjuti experimentis phyſico-mechanicis, quæ optime naturam corporum & motuum cauſas ac leges explicant, paulo ſubtilius, longeque optime excoluerunt. Sique veritatem non diſſimulemus, utique non modo in avertendis, ſed etiam ſanandis, præcipue chronicis paſſionibus, per remedia & præcepta diætetica, ſi obſerventur, plus quam per pharmaceutica & ſecreta tantopere decantata effici poſſe, certiſſimum eſt. Præterea recte ac perite *Galenus* dixit: *nullum tam efficax remedium medicinam habere, quod auxilium afferre queat, ſi ei victus vel reſiſtat, vel non adjuvet.* Neque hujus moniti deficit ratio; ſiquidem morborum origo à cauſis evidentibus, prava diæta, & malo vitæ regimine, atque ſex rerum nonnaturalium perverſo uſu, inprimiſque ab imbecilli & ſenſibili natura, unice dependet; quibus cauſis permanentibus, omnis medicamenti vis infringitur. Præter hæc optime olim *Plutarchus* annotavit, *ob novam victus rationem, novos incrudeſcere morbos, & corporum naturam aliam atque aliam inde temperaturam ſuſcipere.* Purpura chronica, quod Germaniæ incolis, noſtro jam tempore, tam familiare ſit vitium, nulla mihi videtur alia cauſa, quam frequentiſſimus infuſorum calidorum, præſertim potus coffee uſus, quo viſcidi & bilioſi recrementitii humores acuuntur, & ad ſuperficiem corporis propelluntur. Diſpoſitio quoque, quæ inclinat ad hæmorrhoides, noſtro tempore longe frequentior quam olim eſt, apud eos potiſſimum, qui cibis penetrantis ſaporis per aromata peregrina comparati, & vinis calidioribus ex Gallia, Hungaria, & exteris regionibus petitis, delectantur; quibus ſanguis circa lumbarem regionem ebulliens, & per pilulas quas aloe ingreditur, concitatior redditus, ubi per venas ſedis exitum non invenit, non modo ſtagnans cœcas hæmorrhoides parit, ſed & ad interiora regurgitans, pathemata ſpaſmodica ſic dicta hypochondriaca excitat, qui morbus noſtro tempore nimium ſolennis eſt. Ulterius ſciendum eſt, ſagacem hominem ſibi debere eſſe medicum, obſervando ea, quæ ex cibo

&

& potu, aliiſque rebus ipſi utilia atque ſalutaria, vel minus talia ſint. Quare ſemper mihi perplacuit pulcherrimus *locus*, qui extat in *Xenophonte de dictis & factis Socratis p.* 513. *Is monebat ſuos auditores, ut magnam haberent valetudinis curam, tum à peritis diſcendo, quæ commoda ſint, tum etiam totam per vitam de ſe obſervando, quis potus, quis cibus, quiſve labor conferat, quia oblivio, mœror, furor, duritieſque animi nonnunquam à mala corporis habitudine oriuntur, & quibus corpora recte valent, nullum inde ad mentem redundat periculum.* Et profecto tam mutua & amicabilis mentis & corporis communio eſt atque ſocietas, ut corpus ſanum mentis ſanitati etiam faveat; & contra ſana mens ad corporis ſanitatem ſervandam multum valeat. Spectat huc inſignis locus ex *Hippocrate*, qui extat *lib. de flatibus* §. 20. *nihil magis,* inquit, *ad prudentiam confert quam ſanguis; hic ergo cum in conſtanti habitu perſiſtit, conſiſtit etiam prudentia; ſanguine vero permutato, concidit ſimul & prudentia.* Et *lib.* 1. *de diæta* §. 30. totus in eo eſt, ut demonſtret, *animæ ſapientiam à recto victu dependere, & ſi læſa fuerit, reſtitui poſſe, illo emendato.* Quam utilis vero & neceſſaria ad tuendam vitam & ſanitatem diætetices ſit ſcientia, nullibi rectius & clarius, quam in corporibus imbecillibus, apparet; quorum in numero ſunt ſenes, & à natura debiles, à gravi morbo vix convaleſcentes, & qui ab immodica ſanguinis, ex quacunque etiam cauſa, profuſione, vel à nimiis vigiliis, fame, aut diuturno mœrore languentes redditi, vires amiſerunt: iis vel levis in diæta error nocet; ſi gravis fuerit, vel morbi antecedentis recidivam, vel alium pejorem morbum ingignit. Hos itaque ante omnia ordinate agere & leges diæteticas ſervare oportet: ne in vitia, præcipue tabem inferentia incidant, quod fit, ſi convaleſcentes à morbo, arbitrio ſuo vivant, & ſubito rurſus inordinato vitæ genere utantur. Quamvis vero doctrina harum rerum ſit longe optima & utiliſſima, mirandum tamen eſt, perpaucos ex medicinæ ſtudio deditis eſſe, qui hanc imprimis excolendam, ſibi

perſuadent; & ſunt præcipue ii, qui non niſi medicamentis & arcanis adverſus morbos pugnant, & qui hanc doctrinam imbiberunt, naturam corporis humani ſatis per ſe eſſe ſapientem, ut ſi vitium quoddam in diæta acceſſerit, illud quod nimium ſit, per convenientia emunctoria expellat, ſique valde infenſum fuerit, adverſus id ſe armet, imo quandoque auctiori motu in febribus expellat; ut non tam curioſa victus obſervatione opus ſit. Et ea propter etiam doctrina & inſtitutio rerum phyſicarum, quæ per effectus & varia experimenta, tam chymica quam mechanica comparatur, nimis aperte ab his negligitur nec ſatis æſtimatur, nec aliis, ut ſcitu neceſſaria commendatur. Ego vero omni tempore, quo arti noſtræ docendo & exercendo vacavi, nihil prius, nihil poſterius habui, quam ut hanc medicinæ partem, quæ nos ad rerum naturalium, elementorum & alimentorum penitiorem cognitionem atque peritum uſum & applicationem perducit, iis omnibus, quibus ſua aliorumque ſalus curæ cordique eſt, ſummopere commendarem; idque in meis de diæta, rerumque phyſicarum indagatione editis ſcriptis ſatis oſtendi.

Reſtat jam, ut etiam de parte medicinæ omnium nobiliſſima & vetuſtiſſima chirurgica, quæ externarum partium vitiis recte medendi præcepta tradit, noſtram ſententiam dicamus; quod videlicet hæc ipſa medico ſcitu ſit ſumme neceſſaria. Complures quidem in hac perverſa verſantur opinione, hanc artem, quæ manu ſanat, & in ſectionibus atque externis remediis applicandis verſatur, directe ad medicinam non pertinere; at hi certe neſciunt, totum hominem, tam quoad externas, quam internas partes, medicinæ eſſe objectum, & has invicem tam mirabilem intercedere conſenſum, ut vitium, quod externis inhæret, perfacile tranſeat ad interiores, & iſtæ contra graviter luant, ſi hæ morboſe afficiantur. Præterea ſciendum eſt, vitia, quæ externis partibus inhæreſcunt, & quæ chirurgi ope egent, etiam internas occupare, ut dolores, tumores, extravaſationes, ſcirrhi, inflam-

inflamationes, ulcera, apoſtemata ; & ſingula non tantum externa, ſed etiam interna medicamenta requirere; ut adeo pateat, chirurgi & medici munus non multum differre. Neque prætereundum, topica, pro diverſa vitiorum ratione & natura corporum, inſignem, ne qua noxa inferatur, prudentiam deſiderare; ex quo clare apparet, nec medicinam à chirurgia, nec chirurgiam rationalem, ut verum dicam, à medicinæ fundamentis nullo modo poſſe ſeparari. Recte igitur ſentiebant veteres, qui ex familia Æſculapii ortos & arte medica imbuendos, ante omnia chirurgiam edocebant; ideoque in ſuis de re medica monumentis ſummum eidem pretium ſtatuebant. Atque etiam olim, & noſtra hac tempeſtate, illi medici, qui paulo curatiorem corporis humani anatomen cum chirurgia excoluerunt, præ omnibus aliis magno honore habiti, ſummam celebritatis famam conſecuti ſunt. Sed quam pauci ſunt, qui egregiam hanc artem probe intelligunt! Ii quoque, quod turpe dictu eſt, qui unice huic arti operam ſuam addixerunt, eamque ex inſtituto tractare volunt, ut plurimum ſuam in ea ignorantiam palam faciunt, ut ideo & ratio & ſalus reipublicæ medicum hujus artis pariter gnarum, rerumque in ea obviarum peritum jure poſtulet, quo inſcitiam chirurgorum conſilio adjuvare, & modeſta admonitione poſſit corrigere. Etenim, quicunque ex chirurgis artem ſuam non empirice, ſed ita, ut decet rationalem, tractare vult, is non modo ex anatome, corporis humani partium externarum, ut oſſium, muſculorum, nervorum, tendinum, membranarum, glandularum, vaſorum, fibrarum ſtructuram, ſitum, connexionem atque uſum tenere: ſed & inſuper doctrinam de circulo ſanguinis, de vita & conſervatione ſanguinis, de viribus & robore partium, de nutritione recte perſpectam habere debet, ut deinde eo melius de externis læſionibus, nec non de remediorum uſu & noxa, judicium ferre poſſit.

D 2 Præter

Præter hæc utique operationes manuales, congruis & aptatis inſtrumentis, omni dexteritate ac circumſpectione, adminiſtrandi rectam ſcientiam poſſideat, neceſſe eſt; quibus ſubſidiis etiam medicus probe ſit inſtructus, ut chirurgum inſcium conſilio juvare, imo ſæpius corrigere valeat. Ceterum ad medicinam rationalem & illud referri debet, ut quis ſolidum & rectum judicium de morbi eventu ſalutari vel periculoſo, de pernitialibus, quæ ſupervenire ſolent, ſymptomatibus, de medicamentorum operatione, qualis futura ſit, proferre ſciat. Nihil enim eſt, quod plus ad exiſtimationem medici cumulandam, ad artis quoque certitudinem demonſtrandam confert, quam prudens de dictis rebus prognoſis. Præclare ideo Hippocrates in Principio Prænotion. diſſerit: medicum prænotionem adhibere, optimum eſſe mihi videtur; prænoſcens enim & prædicens apud ægrotos & præſentia, & præterita, & futura, fidem utique fecerit, quod ægrotorum res magis cognoſcat; quare gaudebunt homines ſe ipſos medico committere. At vero, quam excellens hæc præſagiendi ſcientia eſt, tam infida, incertaque ea deprehenditur, adeo, ut non immerito judicium de morborum eventu recte formandum difficillimum ſit. Plurimi medicorum vanis & inanibus ſuis de futuro eventu predictionibus, ſæpius ſe & artem ludibrio exponunt, dum ſubinde ægrum, de cujus ſalute ſpem fecerunt certiſſimam, interire videamus. Neque alia hujus ignorantiæ datur cauſa, quam quod non ſufficiente accuratarum & completarum obſervationum clinicarum copia & apparatu inſtructi ſunt; neque quod maximum eſt, morborum hiſtorias ex ſanioribus artis principiis rite reſolvere, neque de eo, quod per corporis humani vires & effectus, atque per medicamentorum energiam fieri poteſt, recte dijudicare valent. Veteres hanc partem medicinæ maximi ſemper æſtimarunt; ſed quoniam non ex integris morborum hiſtoriis & obſervationibus, ſed ex paucis tantum circumſtantiis ſuas regulas prognoſticas, quarum ingens copia in

Hippo-

Hippocratis variis libris reperitur, deduxerunt, non mirum eſt, rarius illas reſpondere, ſed maxima ex parte fallere.

Accedit, quod veteres nullas veras cauſas rebus naturalibus & medicis explicandis idoneas, ob ignorantiam phyſices univerſæ & veræ medicæ phyſiologiæ afferre poterant; neque in quo vitæ, ſanitatis, mortis & morborum ratio poſita ſit, intelligebant, multo minus, per quæ principia, remedia ſuas vires exſerant, cognoſcebant; unde etiam de futuris eventibus vix ullum ſolidum judicium proferre poterant. Etenim curatior & propria cujuſque corporis cognitio ad prognoſin multum valet. Pulcher hanc in rem extat locus apud *Celſum Lib.* 5. *cap.* 26. *ad prognoſin confert aliquid & ætas, & corpus, & vitæ propoſitum, & anni tempus quia facilius ſaneſcit puer vel adoleſcens, quam ſenior: valens, quam infirmus: neque nimis tenuis, neque nimis plenus, quam ſi alterum ex his eſt: integri habitus, quam corrupti: exercitatus, quam iners: ſobrius & temperans, quam vino venerique deditus. Opportuniſſimumque curationi tempus vernum eſt; aut certe neque fervens, neque frigidum. Siquidem vulnera & nimius calor & nimium frigus infeſtant; maxime tamen horum varietas: ideoque pernicioſiſſimus autumnus eſt.* Et porro idem auctor in antecedentibus: *ante omnia ſcire medicus debet, quæ inſanabilia ſint, & quæ difficilem curationem habeant, quæ promptiorem. Eſt enim prudentis hominis, primum eum, qui ſervari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem ejus, ut occiſi, quem ſors ipſius interemit. Deinde, ubi gravis metus ſine certa tamen deſperatione eſt, indicare neceſſariis periclitantis, in difficili rem eſſe: ne, ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe videatur. Sed ut hæc prudenti viro conveniunt: ſic rurſus hiſtrionis eſt, parvam rem attollere, quo plus præſtitiſſe videatur.* Sed nolo hiſce deducendis diutius immorari, quia hoc argumentum in diſſertatione de certo mortis in morbis præſagio fuſius perſecutus ſum.

Denique

Denique iniquum judicium, imo potius calumnia non tantum vulgi, ſed & eruditorum, quin imo medicorum eſt, theoreticum malum eſſe practicum, & eum ſapientiorem ac peritiorem eſſe, qui multos habet ægros tractandos, quam qui paucos, exiſtimant. Erroris hujus illecebra & occaſio inde naſcitur, quod medicina res exiſtimetur, uti etiam eſt, multi laboris, temporis ac experientiæ; hinc argumentantur, qui multos habet ægros ſanandos, eum peritiorem eſſe eo, qui bene & recte ratiocinari de morbis ſolet, ſed paucos habet ægrotos. At vero utique experientia, id eſt, accurata obſervatio earum rerum, quæ nocent, vel proſunt, in invenienda medicina locum præcipuum invenit, & ordine præcedit rationem: ſed cum jam dudum medicina inventa ſit, & per tot ſecula, per tot nationes ac climata, inſtituta in tot individuis experientia & obſervatione eorum, quæ corpori infenſa, vel amica ſint, à præſtantiſſimis medicis notatum fuerit; jam non tantopere amplius de experientia cogitandum, ſed eo nitendum eſt, ut remedia, quorum noti effectus ſunt, ad certa individua, ad certas morbi circumſtantias debito ordine, tempore ac loco applicemus, atque prudenter ea accommodemus. Et hæc ſpecialis medendi methodus nil niſi prudentia, conſilium ac ratio medici eſt, & ex morbi cum indole remediorum accuratiore collatione, comparatione & omnium circumſtantiarum penſitatione naſcitur & acquiritur. Ubi non negandum, quod qui tali prudentia, ratione & habitu judicandi inſtructus ſit, artis continuo exercitio multum proficiat & adhuc confirmetur. Bonus itaque theoreticus ſaniorum medicorum conſenſu is eſt, qui theoriam ac ratiocinationem ſuam accommodare hiſtoriæ morborum, nec non experientiam rationi conformem ac demonſtrativam reddere didicerit. Unde bonus theoreticus non poteſt etiam non eſſe bonus practicus. Hinc medici ratio vel theoria, debitis præſidiis inſtructa & experientiæ ſuperſtructa, magnos in medicina facit progreſſus, cauſas ac fontes morborum

rum

rum apte aperit, cur alia corpori noxia ſint, alia proficua, incredibili ſolertia diſquirit, veteres cum recentioribus feliciter conciliat, medendi methodum pro differentia climatum, anni temporum, ſubjectorum, ætatum, vitæ generis diſcrepantem probe diſtinguit; quin & remediorum verum uſum ab abuſu ſedulo diſcernit; præterea aliorum minus ſecuram curationem perquam facile perſpicit, multoque tutiorem & expeditiorem curandi viam in novis ingruentibus affectibus adinvenit. Quibus omnibus ille, qui ſoli inhiat praxi, utut numeroſis adfuerit ægrotis, ſi inſuper theoria bona careat, deſtituitur. Solenne itaque, ſed revera ſtolidem eſt, experientiam allegare, ubi deficit ratio, circumſtantiarum penſitatio, ſubjecti & cauſæ morbi & modi agendi in remediis cognitio. Ceterum tamen non negandum, plures etiam in theoreticis committi errores, ubi nempe quis ad hypotheſes inanes, ſpeculativas, fictitias magis, obſcuris & nihil ſignificantibus terminis, quam principiis perſpicuis ſuperædificatas vult praxin accomodare, & ex hiſce principiis ea remediorum genera rejicere conatur, quæ per omnia ſecula & nationes uſu, aliorumque applauſu ſe commendarunt. Hic valet illud axioma: malum theoreticum eſſe malum practicum, ſi videlicet ex theoria hac nuda, praxin inſtruere velit.

Præterea boni & præſtantis theoretici eſt criterium, liberum animum ad veritatem inſpiciendam afferre, nullis præjudiciis, auctoritatibus, opinionibus, ſcholis & ſectis obſtrictum: nam libertas philoſophandi præſtantiſſimum eſt mentis humanæ ornamentum & munus, qua is maxime utitur, qui à natura judicii acumine inſtructus eſt; quicunque vero hoc naturæ beneficio caret, is quam maxime magiſtrorum ſuorum, quos amat, & quos audivit judicio & ſententiis firmiſſime inhæreſcit, & ſolos illos, tam in theoria, quam praxi, in eo quod laudant vel vituperant, ſequendos eſſe, exiſtimat. Quare, quum horum ſcientia tantummodo in notitia placitorum magiſtralium

conſiſtat,

conſiſtat, minus firmiter de aliorum ſcientia & dogmatibus judicare poſſunt.

Ex hiſce omnibus abunde jam deductis clariſſime apparere arbitror, quam multa præclara & plane eximia ad artem noſtram in ordinem & connexionem redigendam, & ad medicinæ rationalis ſyſtema, methodo demonſtrativa inſtruendum ſint neceſſaria; atque quam exiguus eorum ſit numerus, qui periti & rationalis medici nomen ac dignitatem jure ſibi vindicare & tueri poſſint, cum maxima ex parte undequaque ferme ars medica empirice tractetur, certis fundamentis & ſolidis rationibus deſtituta. Equidem in rebus phyſicis, anatomicis, phyſiologicis, botanicis, chymicis egregii & pulcherrimi proſtant libri; aſt ex præcipuis, qui ad artem faciendam pertinent, quales ſunt pathologici, dogmatici & therapeutici, pauciſſimi ſunt, qui laudem merentur; plerique plus opinionibus, nutantibus hypotheſibus, auctoritatibus ac præjudiciis, quam veritatibus utilibus & neceſſariis ſuperſtructi ſunt. Proſtant quidem noſtro tempore à celebribus hinc inde viris conſcriptæ pathologiæ ſeu theoriæ morborum medicæ, quæ ab iis, quibus in verba jurare magiſtri ſolenne eſt, multum laudantur, & ſupra modum tamquam omnibus ſuis abſolutæ numeris efferuntur; quas tamen, ſi paulo accuratius conſideramus, magna ex parte mancas & imperfectas conſpicimus; ſiquidem nec perſpicuas virium & imbecillitatis corporis humani, nec veras moriendi neceſſitatis cauſas reperire ibi licet: de morborum epidemiorum, qui multum medentibus faceſſunt negotii, origine altum eſt ſilentium: humorum intemperies & virulentæ qualitates propemodum relegantur: concretionum in vaſis, quæ polyporum nomine veniunt, & immedicabiles morbos producunt, nulla fit mentio; de mirabili nervoſarum partium conſenſu, ſine cujus notitia vix ac ne vix quidem ſymptomata explicari poſſunt, ibi plane non agitur: corruptio partium ſphaceloſa, quæ plerumque mortis, tam acutis quam chronicis paſſionibus ſupervenientis, cauſam conſtituit,

conſtituit, habetur rariſſima: doctrina de pulſibus, magnæ in judicio de eventu morbi ferendo utilitatis, ibi neglecta aut penitus omiſſa animadvertitur; & ſi ad rationalem actionum corporis noſtri præternaturalium explicationem reſpicimus, operationes animæ cum cauſis phyſico-mechanicis, & actiones morales cum phyſicis mirum quantum invicem confunduntur. Dantur adhuc alii doctiſſimorum & celebrium virorum pathologici libri, in quibus plus materiarum morbificarum, quam motuum vitioſorum habetur ratio; quandoquidem diverſiſſimæ intemperiei, pro ſtabiliendis morborum cauſis adducuntur humores; cum tamen ex motuum inæqualitate & vitio ſive errore in locis, dum ex uno loco ad alienum humorum fit tranſitus præcipua ſymptomatum in morbis ratio deduci debeat. Deinceps in therapia recentiorum auctorum curationes morborum, quæ per abſtinentiam, quæ per decocta ſudorifera & exſiccantia, per aquæ potum & aquas minerales, acidulas & thermas, per balnea, per lac vel ſerum lactis, per acidulas cum lacte mixtas, per peregrinationes & loci ac cœli mutationes, per varia exercitationis genera, cumprimis per fricationes fiunt, penitus ſilentio involvuntur, cum tamen ad vincendas longas & rebelles paſſiones, nihil convenientius, nihil efficacius hiſce jam dictis, & olim, & noſtro jam tempore reperiatur. Præterea innumeros poſſidemus pharmaceuticos libros, qui immenſa medicamentorum ſimplicium & compoſitorum, Galenicorum & chymicorum, copia & farragine referti ſunt: in quibus proprias & veras eorum facultates & vires, quas vel in hoc, vel in illo caſu præſtare poſſint, nullo modo licet reperire, adeo ut eorum utilitas plane nulla, vel admodum exigua ſit; atque inter innumeros libros practicos, maxime obſervationes & morborum hiſtoriæ plenæ & accuratius, cum omnibus ſcilicet circumſtantiis conſcriptæ, valde deficiunt, cum tamen hæ ipſæ firmum & inconcuſſum artis noſtræ, tam theoreticæ, quam practicæ, fundamentum conſtituant.

Cum itaque à multis retro annis, magna illa, quæ artis noſtræ ſucceſſum & incrementum, ac perfectionem huc uſque retardarunt, impedimenta animadverterim, nihil magis à longo tempore ardentibus mihi in votis fuit, quam ut maturioribus annis, ſufficienti obſervationum copia, & firmiore judicio munitus, artem in ſyſtema, & corpus methodo rationali conſtitutum redigere & digerere poſſem, quod res, faciendæ medicinæ tantummodo utiles & neceſſarias complecteretur. Secutus etiam ſum ſalutare *Celſi* conſilium, qui in fine præfationis, *rationalem medicinam eſſe debere*, pronuntiat; *inſtrui vero ab evidentibus cauſis, obſcuris omnibus, non à cogitatione artificis, ſed ab ipſa arte rejectis.* Inter cauſas vero evidentes primo loco liber & æquabilis ſanguinis & fluidorum in circulum progreſſus, cum motibus ſecretoriis & excretoriis ponendus eſt; ex quo, tanquam fundamento & principio demonſtrandi, omne in rebus medicis ratiocinium deſumſimus. Deinceps per cauſas evidentes intelligimus quoque rationes ex anatome & philoſophia naturali petendas; ſine quibus theoria medica plane manca ac cruda eſt.

Divina igitur ſuffultus gratia, ſexageſimo ætatis meæ anno, primum medicinæ rationalis tomum evulgare cœpi. Poſtea ſuccedentibus annis, ſub ingenti occupationum, conſultationum, itinerum onere reliqui ſecuti ſunt, ita ut ſub ſeptuageſimo octavo ætatis anno, inter vires utique valde decreſcentes, ſeptimus per Dei gratiam, abſolutus fuerit tomus. Quod ſi hoc labore & ſtudio nihil aliud conſecutus ſum, certe id me præſtitiſſe confido, ut ii, qui artis opus aggredi incipiunt, viam planam atque apertam inveniant; cui ſi inſiſtent, non facile errare & nocere, ſed perpaucis & efficacibus remediis, accedente præſertim cum uſu rerum judicio, miſere ægrotantibus opem & levamen afferre poterunt exoptatiſſimum. Atque, quod noſtri labores, & ſtrenui artem juvandi conatus, peritioribus non diſplicuerint, vel exinde dijudicare licet, quod tomi medicinæ ſyſtematicæ, ſimul

mul ac lucem adſpexerunt, & conſultationes ac diſſertationes varii argumenti, non modo in Germania, ſed etiam in Belgio, Helvetiis & Italia variis editionibus in lucem prodierint. Quod vero hæc in unum opus congeſta ſcripta mea, non æquali ſtili nitore atque cultu compareant, id benevolus lector meditationi & ſolertiæ continuis aliis laboribus ſæpius interruptæ, & diverſæ ætatis tempori, quo concinnata ſunt, tribuendum eſſe, judicabit. Ceterum ſermo in toto opere licet non adeo venuſtus, tamen purus, perſpicuus & dilucidus eſt, rei tradendæ accommodus, & reſectis omnibus ſuperfluis, eam præcipue medicinæ partem perſequutus ſum, in qua proprie & principaliter ars conſiſtit: in allegandis auctoribus non adeo diffuſus fui, ſed potiſſimum veteres adeundos & conſulendos putavi: quos in iis, quæ ad hiſtoriam morborum deſcribendam pertinent, & quæ experientiæ reſpondent dogmata, ſequutus ſum fideliſſime. Quod ſupereſt, Deum immortalem precor, velit arti noſtræ quam nobiliſſimæ, quam ipſe mortalium beneficio largitus eſt, quamque ipſius gratia adjutus, ultra dimidium ſæculi exercui & docui, atque his diligentiæ meæ fructibus ad omnem poſteritatem propagandis hanc promovere unice cupio, eos progreſſus largiri, ut, falſis & noxiis omnino profligatis, ejus veritas, certitudo & decor pleniſſime effulgeat, omneſque, qui ſe colendæ ipſi conſecrant, ex hiſce meis laboribus in generis humani utilitatem fructum repetant ampliſſimum.

CATALOGUS *Librorum Medicorum qui apud* GULIELMUM MEYER *Bibliopolam venales proſtant.*

ALberti (Mich.) *tractatus de Hemorrhoidibus*, 4to. Halæ 1722.
——— ——— *uberior continuatio Juris Prudentiæ Medicæ*, 4to. *tomus* 4. & 5. Lipſiæ, 1740.
Albini (Bernh. Sigefr.) *Hiſtoria muſculorum Hominis, cum fig. æneis*, 4to. Lug.B. 1734.
Ammanni (Joan.) *Stirpium rariorum, cum fig. æn.* 4to. Petropoli 1739.
Baglivii (Georg.) *Opera omnia Medico-practica, & Anatomica*, 4to. Antwerpiæ 1734.
Bartholini (Th.) *Epiſtolarum Medicinalium, a Doctis vel ad Doctos Scriptarum, ejuſdem de inſolitis partus Humani viis diſſert. accedunt J. Veſlingii de Pullitie Ægyptiorum*, 8vo. 5 v. Hagæ C. 1740.
Behrens (Conr. Barthold) *Selecta Medica de Medicinæ natura*, 4to. Francof. 1708.
Boerhaave (Herm.) *Elementa Chemiæ*, 4to. 2 *vol.* Lugd. B. 1732.
——— *idem liber*, 4to. 2 v. Pariſiis 1733.
——— *idem liber*, 8vo. 3 v. Lipſiæ 1732.
——— *affectum in libris & praxi rariſſimum*, 4to. Lugd.B. 1738.
——— ΦΥΣΙΟΛΟΓΙΚΗ, *ſeu oeconomia animalis æreis tabulis illuſtrata*, 4to. Londini 1741.
——— *Aphoriſmi de Cognoſcendis & curandis morbis*, 8vo. Lugd. B. 1737.
——— *idem liber*, 8vo. Genevæ 1721.
——— *idem liber, ejuſdem libellus de Materia Medica*, &c. 8vo. Lipſiæ 1740.
——— *Atrocis nec deſcripti prius, morbi Hiſtoriæ duæ*, 8vo. Lugd B. 1728-40.
——— *Inſtitutiones Medicæ in uſus annuæ exercitationis domeſticos*, 8vo. ib. 1734.
——— *idem liber*, 8vo. Genevæ 1721.
——— *inſtitutiones & experimenta Chemiæ, cum fig.* 8vo. 2 v. Pariſiis 1724.
——— *methodus diſcendi artem Medicam*, 12mo. Londini 1734.
——— *Praxis Medica, ſive commentarium in Aphoriſmos de cognoſcendis & curandis morbis; ejuſdem Hiſtoria Plantarum, quæ in Horto Academico Lugduni-Batavorum creſcunt*, 12mo. 6 v ib. 1738.
——— *tractatus de viribus Medicamentorum*, 12mo. Pariſiis 1726.
Carl. (Joh. Sam.) *Hiſtoria Medica Pathologico-Therapeutica*, 8vo. Hafniæ 1738 2 v.
Caſſebohm (Joan. Frid.) *tractatus* vi. *Anatomici de aure Humana, ſextus figurarum tabulis illuſtrati*, 4to. Halæ 1734-35.
Cheſneau (Nic.) *Obſervationum Medicarum libri* v. 4to. Lugd.B. 1719.
Commentarii Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ, cum fig. æn. 4to. 6 vol. Petropoli 1728-38.
Coſchwitz (Georg. Dan.) *organiſmus & mechaniſmus in Homine vivo obvius, deſtructus & labefactus*, 4to. Lipſiæ 1728.
Crameri (Joan. Andr.) *Elementa artis docimaſticæ duobus Tomis comprehenſa, quorum prior Theoriam, poſterior praxin, exhibet* 8vo. 2 v. Lugd.B. 1739.
Diſcurſus Medicus de Abortu & Medicamentis abortivis, Authore J.N.L. 4to. Ultzæ 1735.
Decas caſuum Clinico-Medicorum, ex propria praxi enatorum, cura atque diligentia debita obſervatorum, collectorum, & nunc ad publicam rei Medicæ utilitatem editorum, â Doctore, quodam Medico circa Hercyniæ Sylvas habitante, 4to. Noordhuſæ 1738.
Fickii (Joh. Jac.) *tractatus de calce viva, in quo ejus Subjectum, principia, proprietas*, Jenæ 1727.
uſuſque Mechanici, Chirurgici, Medico-practici, & Chymici varii explicantur, 4to.
——— *Aphoriſmi Hippocratis notis illuſtrati*, 8vo. ib. 1729.

Fiſcheri

Fiſcheri (Dan.) *de Terra Medicinali Tokayenſi a Chimicis quibuſdam pro Solari habita, Tractatus Medico-Phyſicus,* 4to. Wratiſlaviæ 1732.

Gorter (Joan. de) *Medicinæ compendium in uſum exercitationis domeſticæ,* 4to. 2 v. Lugd.B. 1735–37.

——— *de ſecretione Humorum e Sanguine ex Solidorum fabrica præcipue & Humorum indole demonſtrata, ejuſdem de dirigendo Studio in Medicinæ Praxi,* 4to. ib. 1735.

——— *de perſpiratione inſenſibili, editio altera,* 4to. ib. 1736.

Haller (Alb.) *iter Helveticum anni* 1738, *& iter Hercynicum anni* 1738. 4to. Gottingæ 1740.

Harvei (Gul.) *Opera, pars* 1. *exercitatio Anatomica de motu Cordis & ſanguinis in animalibus, pars* ii. *de generatione animalium, cum fig.* 4to. Lugd.B. 1736–37.

Hoffmanni (Frid.) *Opera omnia Phyſico-Medica denuò reviſa correcta & aucta*; fol. 6 v. Genevæ 1740.

——— *Medicina rationalis Syſtematica,* 4to. 9 v. Halæ 1729-40.

——— *Obſervationum Phyſico-Chymicarum Selectiorum libri* iii. 4to. ib. 1736.

——— *Conſultationum & reſponſorum Medicinalium,* 4to. 2 v. ib. 1734.

——— *idem liber,* 8vo. 3 v. Amſt. 1734-35.

——— *diſſertationum Phyſico-Medicarum curioſarum ſelectiorum, ad ſanitatem tuendam maxime pertinentium,* 8vo. 4 vol. Lugd.B. 1708–33.

———*Opuſcula Medico-Practica, ſeu diſſertationes ſelectiores antea diverſis temporibus æditæ, nunc reviſæ & auctiores,* 4to. Halæ 1736.

——— *Opuſcula Pathologico-practica, ſeu diſſertationes ſelectiores,* &c. 4to. ib. 1738.

——— *Opuſcula Medica varii Argumenti, ſeu diſſertationes Select.* 4to. ib. 1739.

———*Opuſcula Theologico-Phyſico-Medica, ſeu Scripta ſelectiora antea diverſis temporibus edita, nunc reviſa correcta & aucta,* 4to. ib. 1740.

——— *de differente artis Medicæ & Medicorum conditione ac ſtatu & criteriis boni ac periti Medici præfatio*; *operum ſuorum omnium editioni nuperæ in fol. præfixa, & in uſum prioris editionis Emptorum, in 4to. nunc publici juris facta,* 4to. Londini 1741.

——— (Car.) *diatriba Chymico-Medica de acido Vitrioli vinoſo ante hac ſub præſidio Frid. Hoffmanni diſputata jam autem ob ſui præſtantiam recuſa,* 4to. Norimbergæ 1733.

Hummelii (Joan.) *commentatio de Arthritide tam Tartarea quàm Scorbutica, ſeu ut vulgo dicunt Podagra atque Scorbuto*; *acceſſit ejuſdem topiarium Hermetico-Chemicum recluſum,* 8vo. Budingæ 1738-39.

Junckeri (Joan.) *conſpectus Medicinæ Theoretico–Practicæ, tabulis* cxxxviii. *omnes primarios morbos methodo Stahliana tractandos exhibens,* 4to. Halæ 1734.

——— *conſpectus Therapiæ generalis, cum notis in materiam Medicam, tabulis* xx. 4to. ib. 1736.

——— *conſpectus Chirurgiæ tam Medicæ, methodo Stahliana conſcriptæ*; 4to. ib. 1731.

——— *conſpectus Chemiæ Theoretico-practicæ, in forma tabularum repræſentatus,* 4to. 2 v. ib. 1730-38.

Jungken (Joh. Helfr.) *Corpus Pharmaceutico-Chymico-Medicum univerſale, ſive Concordantia Pharmaceuticorum compoſitorum diſcordans, modernis Medicinæ practicis dicata,* fol. Francof. 1732.

Kellneri (Wilh. Andr.) *Synopſis obſervationum Medicarum & Phyſicarum, quas decuriæ* iii. *a centuriæ* x *Ephemeridum Academiæ Cæſareæ Leopoldino-Carolinæ naturæ curioſorum ab anno* 1670, *uſque ad annum* 1722. *Publicatarum continent, ordine Alphabetico expoſita, & ad inſtar Lexici Realis obſervationum Medico-Phyſicarum adornata,* 4to. Norimbergæ 1739.

Linnæi (Car.) *Syſtema Naturæ, ſive Regna tria naturæ ſyſtematice propoſita per claſſes, ordines, genera, & Species,* fol. Lugd.B. 1735.

Logan

Logan (Jac.) *Experimenta & meletemata de Plantarum generatione, nec non canonum pro inveniendis refractionum, tum ſimplicium, tum in lentibus duplicium focis demonſtrationes Geometricæ, cum fig.* 8vo. ib. 1739.

Lommii (Jod.) *de curandis febribus continuis liber, in quatuor diviſus ſectiones: quarum ſingulæ ſingulorum morbi temporum, quæ totidum quoque ſunt numero, remedia continet,* 8vo. Rotterd. 1733.

Mangeti (Jo. Jac.) *Bibliotheca Medico-practica, ſive rerum Medicarum Theſaurus cumulatiſſimus,* fol. 8 v. Genevæ 1739.

——— ——— *Bibliotheca Chirurgica, ſive rerum ad artem Machaonicam quoquô modô ſpectantium Theſaurus abſolutiſſimus; cum figuris æneis neceſſariis,* fol. 4 vol. ib. 1721.

——— ——— *Bibliotheca Pharmaceutico-Medica, ſeu rerum ad Pharmaciam Galenico-Chymicam ſpectantium Theſaurus refertiſſimus, cum fig. æneis,* fol. 2 v. ib. 1704.

Medicorum Sileſiacorum Satyræ, quæ varias obſervationes, caſus, experimenta tentamina, ex omni Medicinæ ambitu petita exhibent. Specmina vi. *cum fig.* 8vo. Wratiſlaviæ 1736-38.

Neufville (Ludov. de) *diſſertatio de membrana Allantoide;* & Theod. Tronchin *diſſertatio de Clitoride,* 8vo. Lugd.B. 1736.

Novarii (Jo. Mar.) *de privilegiis miſerabilium Perſonarum, & privilegiis reſtitutionis incertorum & male ablatorum,* 4to. 2 vol. Francof 1740.

Pharmacopoeia Argentoratenſis, incl. Senatus juſſu Publ. a Collegio Medico adornata, fol. Argentorati 1725.

——— *Auguſtana renovata, reviſa & appendice aliquot Medicamentorum ſelectiorum aucta,* fol. Auguſtæ Vind. 1734.

——— *Edinburgenſis,* 12mo. Londini 1736.

Piſonis (Car.) *ſelectiorum obſervationum & conſiliorum, de prætervîſis hactenus morbis affectibuſque præter naturam, ab aqua ſeu ſeroſa colluvie & diluvie ortis, liber ſingularis cum Præf. Herm. Boerhaave,* 4to. Lugd.B. 1733.

——— (Nic.) *de cognoſcendis & curandis præcipue internis Humani corporis morbis, libri tres & ejuſdem de febribus liber unus; acceſſit Præfatio Herm. Boerhaave,* 4to. 2 v. ib. 1736.

Pott (Joh. Henr.) *Exercitationes Chymicæ de Sulphuribus Metallorum, de auripigmento, de ſolutione corporum particulari, de Terra foliata Tartari, de acido vitrioli vinoſo, & de acido nitri vinoſo,* 4to. Berolini 1738.

Raji (Joan.) *methodus Plantarum emendata & aucta,* Londini (Lipſiæ) 1733.

Sanctorii Sanctorii *ars de Statica Medicina cum commentario M. Liſter, acceſſit H. Obicii Staticæ Medicinæ Demolitio, & Sanctorii ad eandem reſponſio,* 12mo. Lugd.B. 1728.

Schulzii (Jo. Henr.) *Hiſtoria Medicinæ à rerum initio, ad annum urbis Romæ* 535. *deducta,* 4to. Lipſiæ 1728.

Scriptores rei ruſticæ veteres Latini, Cato, Varro, Columella, Paladius, &c. *curante J. M. Geſneri,* 4to. 2 v. ib. 1735.

Stahli (Georg. Ern.) *fundamenta Chymiæ Dogmatico-rationalis & experimentalis, pars poſterior,* 4to. Norimb. 1732.

——— ——— *opuſculum Chymico-Phyſico-Medicum,* 4to. Halæ 1740.

——— ——— *ars Sanandi cum expectatione, ejuſdem Silenus Alcibiadis, id eſt ars Sanandi; & ejuſdem de motu Hemorrhoidalis & fluxu Hemorrhoidum,* 8vo. 3 v. Offenbaci 1730.

——— ——— *experimenta, obſervationes, animadverſiones,* CCC. *numero, Chymicæ & Phyſicæ,* 8vo. Berolini 1731.

Sydenham (Thom.) *Opera Univerſa, in quibus non ſolummodo morborum acutorum Hiſtoria*

ſtoria & curationes, nova & exquiſita methodo, diligentiſſime traduntur, verum etiam morborum fere omnium chronicorum curatio breviſſima, pariter ac fideliſſima, in publici commodum exhibetur. Ed. nov. Indice locupletiori, iterumque adaucta donata, 8vo. Lugd.B. 1741.

Teichmeyeri (Herm. Frid.) *elementa Anthropologiæ, ſive Theoria corporis Humani,* 4to. Jenæ 1739.

Thomaſii (B. Jac.) *de Medica Facultate, quatenus gratioſa, in uſum publicum nunc emiſſa, Hiſtoriamque Medicam admodum fulciens cum Præfat. M. Alberti dignitate Medica combinata,* 4to. Schneebergæ 1734.

Valſalva (Ant. Mar.) *de aure Humana tractatus, in quo integra auris fabrica multis novis inventis & jconiſmis illuſtrata deſcribitur,* 4to. Lugd.B. 1735.

Vateri (Abr.) *Syllabus Plantarum, potiſſimum exoticarum, quæ in Horto Medico Academiæ Wittenbergenſis aluntur,* 8vo. Wittenbergæ 1738.

Veſalii (And.) *opera omnia Anatomica & Chirurgica cura Herm. Boerhaave & Bernh. Siegfr. Albini, cum fig. æneis,* fol. 2 vol. Lugd.B. 1725.

Woolhouſii *diſſertationes opthalmicæ de Cataracta & Glaucomata contra Br. Ant. Heiſteri è Gallica in Latinam Linguam tranſlatæ a C. le Cerf.* 8vo. Francof. 1719.

Boerhaave's (*Herm.*) Treatiſe of the Materia Medica, and forms of Medicines, adapted to his Aphoriſms, on the Knowledge and Cure of Diſeaſes, 12mo. London 1739.

Medical Eſſays and Obſervations reviſed and publiſh'd by a Society in Edinburgh, with Cuts, 8vo. 4 vol. Edinburgh 1737-38.

Milward's (*Edw.*) Circular Invitatory Letter to all Orders of learned Men, but more eſpecially to the Profeſſors of Phyſick and Surgery in Great Britain, concerning an Attempt or Eſſay towards an Hiſtory of the Lives, Deaths, Writings, Characters, and Opinions of the moſt celebrated Britiſh Phyſical and Chirurgical Authors, 8vo. London 1740.

Monro's (*Alex.*) Anatomy of the human Bones and Nerves: with an Account of the reciprocal Motions of the Heart, 12mo. Edinburgh, 1741.

Abregé de l' Hiſtorie des Plantes uſuelles par M. Chomel, 12mo. 3 v. Paris 1730-31.

Aphoriſmes de M. Herm. Boerhaave ſur la connoiſſance & la cure des Maladies, traduits en Francois par * * * 8vo. Rennes 1738.

Art de guerir les maladies Veneriennes, expliqué par les principes de la Nature & les mechaniques, par Nic. de Blegny, 12mo. 3 vol. la Haye 1696.

Cours de Chymie: contenant la maniere de faire les operations qui ſont en uſage dans la Medecine, par une Methode facile avec des raiſſonnemens ſur chaque operation, pour l' inſtruction de ceux qui veulent s'appliquer a cette Science, par Nic. Lemery. 11. edition, 8vo. Leyde 1716.

Decouvertes (Nouvelles) en Medecine, ou ancienne Medicine developpée, par M. de Marconnay, 12mo. Utrecht 1735.

Deſcription Anatomique des parties de la Femme, qui ſervent â la generation; avec un Traité des Monſtres, de leurs cauſes, de leur Nature, & de leur differences: par M. Jean Palfyn, avec figures, 4to. Leide 1708.

Dictionnaire Oeconomique, contenant divers moyens d'augmenter ſon bien, & de conſerver ſa Santé: par M. N. Chomel, avec le Supplement, le tout conſiderablement augmentées & enrichie de figures par Picart, fol. 4 vol. Amſt. 1732-40.

——— ——— le Supplement ſeparé, en 2 vol.

——— ou traité univerſel des Drogues ſimples, ouvrage dépendant de la Pharmacopée univerſelle; par Nic. Lemery, avec des figures, 4to. Rotterdam 1727.

Diſſertations nouvelles ſur les maladies de la Poitrine, du Coeur, de l'eſtomac, des femmes, veneriennes, & quelques maladies Particulieres, par M. Barbeyrac: avec deux deſcriptions de maladies qui n'ont jamais été ecrites par M. Boerhaave, 12mo. Amſt. 1731.

Generation (de la) de l'Homme, ou tableau de l'Amour conjugal, par M. Nic. Venette, enrichie de figures, 12mo. Cologne 1716.

Hiſtoire de la Medecine depuis Galien, juſqu' au commencement du 16 Siecle, par J. Friend, traduite de l'Anglois par Et. Coulet, 12mo. 3 vol. Leide 1727.

Medecin (le) & le Chirurgien des Pauvres: qui enſeigne le moyen de guerir les maladies par des remedes facile a trouver dans le Pays, &c. par M. Dube, 12mo. Paris 1738.

Medecine (la) dogmatique mechanique en maniere d'inſtitution, avec la Pharmacopeé rationelle, par Louis Bellefontaine, 12mo. 2 vol. Amſt. 1712.

Memories pour ſervir a l'Hiſtorie des Inſectes, par M. de Reaumur, avec de figures en taille douce, 12mo. 8 vol. Amſt. 1738-40.

Obſervations importantes ſur la manuel des accouchemens, traduite du Latin de M. Henr. de Deventer, & augmentée de reflexions ſur les points les plus interreſſans par Jacques Jean Bruhier, d'Ablaincourt, avec figures, 4to. Paris 1733.

——— de Medecine & Chirurgie faites dans les Hopitaux du Roi, par M. Wagret, 8vo. ib. 1717.

Pharmacopeé univerſelle, contenant toutes les compoſitions de Pharmacie qui ſont en uſage dans la Medecine, par toute l'Europe; avec un Lexicon Pharmaceutique, par Nic. Lemery, 4to. la Haye 1729.

Proprietés (des) de la Medecine par raport a la vie civile par M. Louis de Santeul, avec les queſtions de Medecine ou il s'agit de ſavoir, ſi le Medecin eſt plus certain que le Chirurgien, 12mo. Paris 1739.

Recueil des remedes faciles & domeſtiques, choiſis & experimentés pour toutes ſortes de maladies internes & externes, recueilli par les ordres de Mad. Fouquet, 12mo. 2 vol. Paris 1726.

——— — le même 8 edition, 12mo. 2 vol. Utrecht 1741.

Reflexions critiques ſur le traité de l'uſage des differentes Saignées, principalement de celle du pied, par M. Chevalier, 12mo. Paris 1730.

Remedes choiſis & eprouvés, tant de Medecine que de Chirurgie, pour les maladies du corps Humain, dont un grand nombre n'ont pas encore eſté imprimés; par M. le Breton, 12mo. ib. 1716.

Secret des Bains & eaux minerales de Vichy en Bourbonnois, decouvert par Cl. Fouet, 12mo. ib. 1686.

Tables Anatomiques dans les quelles on explique en peu de mots la ſtructure & l'uſage du Corps Humain & de toutes ſes parties, avec de remarques & de figures par Jean Adam Kulm, traduites ſur l'edition Latine par Pierre Maſſuet, 8vo. Amſt. 1734.

Tableau de l'Amour conjugal, ou la generation del'Homme, par M. Nic. Venette, nouvelle edition, enrichie de figures en taille douce, 12mo. 2 vol. ib. 1740.

Traité complet des accouchemens naturels non naturels & contrenature, par le Sr. de la Motte, 4to. Leiden 1729.

——— des maladies des femmes groſſes, & de celles qui ſont accouchées; par Franc. Mauriceau, 7 edition corrigeé par l'Auteur, & augmenté de pluſieurs nouvelles figures, 4to. 2 vol. Paris 1738–40.

——— de la communication des maladies & des Paſſions; avec un eſſai pour ſervir a l'Hiſtoire naturelle del'Homme, par Mr. * * * * 8vo. la Haye 1738.

——— des fievres malignes epidemique, qui, ont graſſé dans le Royaume de Pologne dans l'année 1737. par M. Camuſet, 8vo. Dreſde 1738.

10

D E

C A T A R R H O,

E T D E

DYSENTERIA LONDINENSI,

EPIDEMICIS UTRISQUE

An. M.DCC.LXII,

L I B E L L U S,

A U C T O R E

GEORGIO BAKER,

COLL. REG. MED. LONDIN. & COLL. REG. CANTAB. SOCIO,
& REG. SOCIET. SODALI.

L O N D I N I,

Ex Officina GUL. RICHARDSON & S. CLARK.

Proſtat apud J. WHISTON & B. WHITE; & J. ROBSON.
M.DCC.LXIV.

LECTORI
S.

DUORUM morborum memorabilium, qui in eundem annum, hic veris, ille autumni ſoboles, inciderint, in publicum prodit hiſtoria: nuda ea, ac ſimplex; nullo orationis fuco, nullis theoriæ oblectamentis commendata. De cauſis, quæ nos plerumque latent, parum ſolicitus, id unice volo, doque operam diligenter, ut oſtendam, qui & quales hi morbi re ipſa fuerint, & quali ope profligandi. Hoc enim mihi perſuaſiſſimum habeo, conjecturalia omnia ac commentitia adeo non rationali medicinæ inſervire, ut, ab ipſis artis incunabulis ad hæc uſque tempora, nulla ei res majori aut

impedimento

impedimento fuerit, aut dedecori. Iique ſemper ſcriptores de re medica optime meruiſſe viſi ſunt, qui nullis hujuſmodi diverticulis devii abrepti, ſed in morbis ipſis, ipſorumque curationibus obſervandis defixi, fidis omnia literis mandarunt; nihil, niſi naturam rerum evidentem, ſenſibuſque & rectæ rationi plane obviam, veritatemque ipſam contemplati.

Cum id mihi certum deſtinatumque animo eſſet, ſi quid in hac re poſſem, his ipſe editis periclitatus ſum; plura fortaſſis identidem, ſi hæc arriſerint, et ſi res ita ferat, daturus. Tu vero interim vale, & fave.

DE

CATARRHO EPIDEMICO

An. M.DCC.LXII.

ÆSTAS An. M.DCC.LXI præter ſolitum & ſicca fuerat & calida. Autumnum inſequentem, necnon & ineuntem hiemem pluviæ atque auſtri eo uſque occuparunt, ut neque pruinæ concreſcerent, neque deciderent ullæ nives, ad ipſum Januarii finem. Inde, ad medium menſis Martii, frequens gelu, non illud tamen acre & acutum, niſi exeunte demum Februario; quo tempore ſe invicem inſolito more exceperunt venti, pruinæ, nives, pluviæ, omnes præter modum vehementes. Ad finem Martii tempeſtas humida fuit ac procelloſa, decidente pluvia multa, cum grandine. Initio tandem Aprilis tempus in ſiccitatem converti cœpit. Cœli calor jam interdiu etiam gravior; noctes frigidæ ac pruinoſæ. Menſe medio, cum nec-

 dum

dum ſolia arboribus redierant, ſubito Sol effulſit ardentiſſimus, viſque æſtus intempeſtiva atque intoleranda increvit. Perpetua fere deinde apricitas, cœlumque ſudum, quod vix ulla nubecula per dies bene multos, menſe Maio, obſcuravit. Maximam interim menſis partem Eurus, interdum et ad Aquilonem vergens, obtinuit. His vicibus aër et a calore ad frigus, et a frigore ad calorem repentinas ſubiit commutationes; & interdum uno eodemque die conſuevimus et in Sole peruri, & in umbra perfrigeſcere.

Hæc de aëris habitu, imperfecta ſatis atque incondita, ephemeridum fere ad exemplum, breviter præfari placuit, ne ab aliorum more ac conſuetudine devius prorſus abirem, quibus ſolenne eſt in rebus hujuſmodi dedita opera verſari. Rem vero ſubtilius perſequi, ſupervacaneum fore puto: Neque enim unquam mihi perſuaſum habui, quorſum pertineat morborum epidemicorum originem ad mutabiles ventos referre, aut naturam eorum indolemque ad Barometrum exigere. Nimirum cum effectibus nobis præſertim res eſſe videtur, non autem cum cauſis, quæ occultæ plerumque ſunt. Enimvero ſi morbus, de quo in præſentia agitur, iis cœli proprietatibus,

proprietatibus, quæ ſenſibus noſtris ſe offerunt, ortum ſuum debuerit, qui, quæſo, factum eſt, ut non Homines, loco proximi, eodem fere tempore ægrotaverint? Qui factum, ut morbus eos, quos millia non amplius II ab hac urbe disjungunt, ſerior longe, quam Londinenſes ipſos, corripuerit? Quidnam eſſe cauſæ putemus, cur urbem Edinburgum ineunte Maio, aliquas vicinæ Cumbriæ partes recedente tandem Junio, nec prius invaſerit? Profecto quicquid nobis de hac omni quæſtione ſcire conceditur, anguſta admodum metitur circumſcriptio; & laboribus quibuſcunque fruſtra exantlatis, fateamur tandem neceſſe eſt cum optimo Sydenhamo——" Quæ qua-
" liſque ſit illa aëris diſpoſitio, nos pariter, ac complura
" alia, circa quæ vecors ac arrogans philoſophantium
" turba nugatur, plane ignoramus." Neque ſane virum philoſophum dedecet neſcire ea fateri quæ neſciat, adhibita modo prius ad res rite perpendendas diligentia: At incognita pro cognitis habere, eaque incertiſſima quæ ſint, pro certis venditare, id vero dedecet. Sed ad inſtituta pergamus.

Quarto Aprilis die, tres in eadem domo eodem morbo correpti ſunt; qui quidem morbus die quarto &

viceſimo ejus menſis per univerſam urbem longe lateque graſſabatur, neminem fere eximium habens. Simul omnis ordinis, omniſque habitus homines, vix ullo diſcrimine, ægrotabant; nec magis quidem molles & delicatuli, quam quibus firma & integra valetudo. Male erat iis plerumque, qui ætate jam proceſſerant, præcipue ſenioribus ſuſpirioſis. Male etiam corporibus nimium repletis, & mulieribus, quibus ſanguis per menſtrua non reſpondebat. Leviter plectebantur infantes, & liberabantur facillime. Servos ut plurimum hic morbus graviter habebat, vel quod iſti homines ſibi temperare nollent quo minus pleniore victu uterentur, cum tanquam ægros agere oporteret; vel quod quies haud facile contingere poſſet agendi neceſſitatem habentibus.

Elapso tandem duarum circiter hebdomadarum ſpatio, pauci admodum reperti ſunt, quos hoc malum nulla ex parte tentaverat. Ejus hæ fere erant notæ: Alternis frigus & calor corpus percurrens; tuſſicula continua, importuna, alios ſtatim ab initio, alios non, niſi poſt biduum, adorta, quæ aliquando pauculum quiddam pituitæ tenuis citabat, interdum arida erat, et nihil prorſus emoliebatur; laſſitudo, gravitas & dolor ingens

 circa

circa tempora & frontem; oculi inflammati, madentes, refugientes lucem; palpebræ tumidæ; frequentia ſternutamenta; vox obtuſa. De ſenſu quodam ardoris acutiſſimo per univerſum iter aſperæ arteriæ ad ipſam etiam cartilaginem enſiformem pertingente (quaſi interior cuticula abraſa eſſet) ad unum omnes conquerebantur. Nonnulli etiam de pari ardoris ſenſu a faucibus ad ipſum ventriculum, quaſi œſophagus pariter cum aſpera arteria inflammaretur. Vera aliqui & genuina angina pæne ſuffocabantur. Ad mediam ſterni partem gravitas cum difficultate ſpirandi; nec non, urgente tuſſi, aliqua tanquam laceratio inter ſcapulas, complures vexabat. Huc accedebant brachiorum, crurum, laterum inſtabiles quædam atque erraticæ punctiones. Interdum quoque frequenti tuſſe ſanguis quoque extundebatur; nec raro guttæ aliquæ ſanguineæ ex naribus diſtillare viſæ ſunt. Inter hæc aliquoties febris exæſtuabat ſatis vehemens, mitior fere interdiu, noctu acceſſiones habens; interdum tantilla erat, ut vix aut ſitim faceret, aut impediret cibum, aut ſomnum interpellaret. Ægrotantibus conſtans erat perpetuumque ſudoribus diffluere; qui quidem vehementiſſimi prorumpere ſolebant, et aliquando morbum ſolvere, ſaltem reddere mitiorem. Sitis haud valde

fauces

fauces urgebat; univerſis autem * lingua muco albiſſimo obſita erat, & tanquam lactis cremore imbuta. Color habituſque ſanguinis, e vena detracti, pro diverſa ægrorum natura, varios ſe præbuerunt. Urina fere in principio bilioſa proceſſit, in augmento materiam furfuraceam aut lateritiam deſidentem oſtendit. In omnibus animi demiſſio, viriumque defectus major longe quam pro morbi ratione. Tarde admodum ad ſanitatem reſtituti ſunt quam plurimi; tuſſe utique & febricula, reliquiis mali ægre diſcutiendis, per menſes aliquot, imo etiam nonnulli per annum integrum, confecti atque languentes. Aliquos, adverſa valetudine diu colluctatos, phthiſis tandem pulmonalis abſumpſit. Multos, poſtquam jam ad cætera convaluiſſent, dolor admodum moleſtus aut in laterum alterutro, aut in aliqua abdominis parte, longo tempore fatigavit. Animadverſum eſt Londini, plurimas mulieres, hoc morbo, vel reliquiis ejus ægrotantes, abortum feciſſe, aut ante diem peperiſſe.

* Idem in duobus morbis epidemicis, huic noſtro conſimilibus, obſervavit olim Jo. Huxham. Vide obſervationum de aëre & morbis epidemicis vol. i. p. 80, & vol. ii. p. 100.

Alios primum & cum impetu invaſit graviſſimus artuum omnium & capitis dolor; ſenſus laſſitudinis; vehemens febris; levia autem vel catarrhi vel peripneumoniæ comitata ſunt ſigna. Eos, præ cæteris, tam male habebat anxietas atque anguſtia præcordiorum, ut exanthemata aliqua jamjam proruptura viderentur. Id vero, Londini, rarius evenit, quantum aut ipſe vidi, aut percontationibus reperire potui *.

Ad hunc fere modum ſe habuit morbus; qui quidem intra quartum plerumque diem curationi ceſſit, craſſiori

* Sequentem ægri hiſtoriam mihi retulit vir, tum in morbis curandis maxime exercitatus, tum in obſervandis maxime ſedulus, Gulielmus Duncan. Servus quidam L annorum, firmi habitus, hoc morbo decubuit. Sanguine jam quater detracto, per univerſum corpus ſe oſtenderunt exanthemata, quod dicitur, miliaria. Nihilominus tamen immutata perſtitit pulſus durities, eadem tuſſis, eadem ſpirandi difficultas, idem dolor. Neceſſe igitur fuit, nulla exanthematum ratione habita, venam iterum atque iterum, & tandem uſque ad octavam vicem pertundere. Hoc facto, febris in intermittentem abiit, & cortici peruviano ceſſit quam facillime. Iſte autem vir, annis jam fere II elapſis, ſi frigus aliquando ſuſcipiat, de dolore quodam, inter coſtas, juxta dorſi ſpinam, moleſtiſſimo, qui huic morbo ortum debuit, etiamnum queritur.

pituita

pituita tuſſiendo egeſta. Plus vero negotii fuit, & plus periculi, ubi, concitatiori facta febre, & tuſſicula magis importuna, morbi jam vis in juſtam peripneumoniam exarſerat; qua plurimi ſunt conflictati. Huic autem vitio opportuniores fuerunt homines gulæ dediti, plenioris aut corrupti habitus; ſenes *, quibus ſpiritus difficultas inveteraverat; quotquot denique prima morbi indicia neglectui habentes, frigori ſe & labori temere objecerant.

Aliquos, ipſo ſtatim ab initio, vera adorta eſt peripneumonia; quod tamen ruri ſæpius, quam inter urbanos, obtigiſſe compertum eſt. Ibi, in locis quibuſdam ab urbe remotioribus, iſtam fuiſſe mali epidemici proprietatem, per literas nobis nuntiatum eſt. Nec peripneumonia ſolum, ſed angina etiam paſſim dominabatur; & ita dominabatur, ut neque ſexui, neque ætati pepercerit. Ii autem graviſſime ægrotabant, quibus otium, ut ſibi parcerent, nullum fuit; maxime quibus quotidiani labo-

* Aſthmate laborantibus ſi pleuritis vel peripneumonia ſupervenerit, fere ſemper moriuntur. Vide G. Baglivi praxeos medicæ lib. i.

ris penſum ſub Dio peragendum. In hos utique tam ſæva erat peſtilentia, ut quamplurimos, intra quartum diem, ineluctabili morte abſtulerit *.

Neque tamen adeo conſtanti lege ad inflammationem ſpectavit hoc vitium, ut non aliquando (rarius tamen) ſe in febriculæ lentæ faciem indueret, & ad id morbi genus propius accedere videretur, quem Antiqui cardiacum appellarunt. Aliquando etiam circuitum habere conſuevit, atque hoc gyro, ut altero quoque die reverteretur. Neque id ſane miretur quiſquam: quandoquidem enim corpora humana tantum inter ſe differunt, vix fieri poteſt, quin ab iiſdem cauſis alio atque alio more afficiantur.

---

* Dum in oppidulis, juxta urbem Lincolniam, maxime editis, catarrhus ille epidemicus, qualem deſcripſimus, menſe Maio, mitiſſimum ſe & maxime tractabilem præſtabat, in pagis demiſſioribus, vicinis, incredibilem ediderunt ſtragem anginæ, pleuritides, peripneumoniæ. Remediorum inſtar omnium fuit, ſanguinem promptiſſime & larga copia detrahere. Id neglectum protinus inſequebantur alvi fluxus, & tormina, corporibus etiam firmiſſimis cita ac certa pernicies. Horum me certiorem fecit medicus in primis ingenioſus, quo familiari utor, Robertus Petrie Lincolnienſis.

Num variolæ, num morbilli, aut alia corporis mala, quotquot contagione ſpargi ſolent, effectus eoſdem ſemper edunt, aut perpetuis ullis conditionibus ſubjici ſe patiuntur? Annon febres, nunc inflammatoria, nunc putrida, nunc *nervoſa* (vitia inter ſe immane quantum diſcrepantia) derivantur ſæpiſſime ab eodem fonte peſtilentiæ?

Quod ad curationem morbi, quem delineavimus, pertinet, quicquid de hac re aut uſus mihi comprobaverit, aut didicerim ab aliis, ordine jam exponam. Et ſæpe quidem haud magna mole pugnatum eſt. Morbo enim invadente, plurimis hominibus ſaluti fuit domi ſe continuiſſe; omnimodo frigora & laſſitudinem evitaſſe; negotioſam omnem actionem circumcidiſſe; & ſimul curioſo victu caviſſe, ne inutilis materia corpori ſupereſſet. Si quos autem vel febris vehementior, vel dolor aliquis laterum, vel ſpirandi difficultas infeſtaret, iis protinus, & mora nulla, ſanguis mitti debuit, habita ſemper virium ratione. Si ex vena ſanguinem mitti vires non paterentur, ſaltem confugiendum fuit ad levius illud præſidium, cucurbitulas, ſic ut cutis quoque incideretur. Aliqua enim ſanguinis detractio, in principio, perraro

inutilis

inutilis fuit. Aliquando etiam uſu venit, ut ſanguinem copioſe profundere oporteret, quo vitæ periclitanti conſuleretur. Sæpe enim internæ ſuppurationes ægrum, nec opinantem, oppreſſerunt; & inde præceps periculum. Hoc plane mihi compertum habeo, anxietatem iſtam atque languorem, ſigna morbi, quod dicimus, pathognomonica, improvidos quoſdam in malam fraudem induxiſſe; parcos utique in exinaniendo corpore, in calefaciendo nimios.

Detracto ſanguine, alvum lotionibus ducere proximum fuit; quod remedii genus plurimum levamenti attulit per omnem morbi decurſum. Dejectiones enim id agere viſæ ſunt, ut bilis illa omnis, quam majori jam copia frequens tuſſis, nixuſque ad vomendum exprimebant, ex inteſtinis continuo eliceretur; unde calor & inquietudo, febris comites, minuebantur. Quicquid autem cauſæ fuerit, in dubio non eſt, quin remedia, ventrem laxantia, plus in morbo iſto profecerint, quam alia cujuſcunque generis auxilia, ſi modo ſolam ſanguinis detractionem excipias. Quin & Natura hanc nobis curandi viam monſtravit; quæ quidem aliquando vomitus birioſi ope, aliquando bilioſæ dejectionis, ægros ipſa liberavit.

Medicamenta dare, ſudori movendo apta, haud unquam ſalutare fuit, interdum etiam pluſquam inutile: calorem enim conſuerunt illa intendere, per ſe plus æquo vehementem. Satius omnino ægrotanti, ut in lecto conquieſceret, ac dilutiſſima ſe aliqua & tepida potione prolueret.

Nec alienum fuit paulatim delingere oleum, & alia .ſtiuſmodi aſſumere, quæ lævare id quod exaſperatum eſt, quæ emollire tuſſiculam, quæ ſputa evocare ſolent. In his tamen haud multum auxilii fuit; uti quidem neque in nitro, aut in vulgatiſſimo illo remedio, ſale abſinthii cum ſucco limoniorum. Nihilominus tamen vel imbecilla remedia præſtat aliquando potius experiri, quam nulla. Tuſſis etiam, noctu fere quam interdiu moleſtior, opii pauxillulo ſub noctem cöerceri debuit. Verum ſive exſpuendi, ſpirandive difficultas, ſeu dolor pectoris, aut capitis infeſtaret, Emplaſtra Veſicatoria expeditiſſimum auxilium præſtiterunt. Eadem, in dolore laterum, lateribus ipſis, pro more, impoſita, mirum quantum levarunt & dolorem & tuſſiculam. Impetus autem materiæ pulmonem vexantis, maturius evocabatur, ſi ante adhibitæ fuiſſent cucurbitulæ.

Alia

ALIA longe atque diſſimili curatione opus fuit, ubi morbus jam in lentam febriculam degeneraverat, continuam eam fere cum acceſſionibus. Jam nimiæ debilitati jacentis, & languenti ſtomacho ſuccurrendum fuit. Adjicienda vis arteriis; toti corpori fultura. His in caſibus cortex peruvianus, ſubinde & liberaliter datus, raro ſpem noſtram fefellit. Protinus utique arteriarum exigui imbecillique pulſus, tuſſicula, præcordiorum anxietas, ſuſpiria, tremores, vertigines, animique deliquia nobili antidoto conceſſerunt. Oportebat autem iiſdem ipſis auxiliis tueri valetudinem, quibus eſt reddita.

IDEM hic morbus, eodem vere, univerſam fere Europam peragravit *; civitati Venetum præ aliis locis peſtiferus.

* Occipiebat morbus Vratiſlaviæ exeunte Februario, ibique per II circiter menſes eo uſque ſæviit, ut funera a XXX vel XL, aſſueto ſcilicet numero, ad CL, ſingulis hebdomadis, adauxerit. Id teſtatur celebris Vratiſlaviæ Medicus, Jackwitz. Vindebonam ſub finem Martii invaſit; (proüt rem narrat Carolus Mertens legato Ruſſico, iſta in urbe agenti, medicus domeſticus) atque ibi eandem fere proprietatem habuit quam apud nos Londinenſes. Cothenius autem, Regis Boruſſiæ Archiater, eundem refert, in Ducatu Magdeburgico, menſe

tiferus. In hac regione ſerius, in illa maturius ſe oſtendit; nuſquam vero gentium, quantum ſcio, vel ante Februarium, vel poſt Julium. Dum vero quaquaverſum ſæviret, Lutetiam Pariſiorum, & regionem, urbi iſti ſubjacentem, ne quidem attigit. Id quod a viris fide dignis didicimus *.

OPERÆ

---

menſe primum Aprili ſe exhibuiſſe; neque in iſta regione, multis exitio fuiſſe. Hæc viro experientiſſimo, Joanni Pringle, accepta refero; qui omnia, de hoc argumento, aut a ſe animadverſa, aut exterorum literis allata, me lubenter docuit. Hamburgenſes etiam initio Aprilis ægrotarunt; id quod duorum virorum excellentium (C. Roſe, & J. A. H. Reimari) mihi confirmarunt epiſtolæ. At in mari Mediterraneo, apud nautas Britannos, non niſi menſe demum Julio peſtem hanc invaluiſſe accepimus.

* In chartula, quam Galli *la Gazette de France* vocant, deſcribitur hiſtoria morbi ſatis accurata, qui, menſe Junio, non quidem aliquam Galliarum partem, ſed Argentoratum, reliquamque omnem Alſatiam vexaſſe dicitur. " *Pendant le mois dernier, il a régné, tant à Straſbourg que dans le reſte de l'Alſace, une maladie, qui a été preſque générale. Elle a eu, pour ſymptômes, des friſſons par tout le corps, un grand abattement, un violent mal de gorge, une douleur de tête trèſ-aigue, une toux ſeche & fréquente, & une reſpiration difficile. Toutes les perſonnes, qui en ont été attaquès, ont eu la fievre*

Operæ fore pretium judicavi anquirere, an Catarrhus hic epidemicus certo aliquo progrediundi ordine ab alia ad aliam inſulæ noſtræ partem tranſierit; an ſcilicet ab oriente ſole ad occidentem, a ſeptentrionalibus locis meridiem verſus, an vero motu contrario iter fecerit. Percontando autem didici nullam eum uſpiam legem ſervaſſe, curſumque ſuum incertum more quodam deſultorio peregiſſe; urbes vero & majora oppida, incolarum multitudine conferta, ubique citius infeſtaſſe, quam circumjacentes pagos. An contagioſus fuerit necne, nihil equidem certi affirmo. Hoc ſaltem conſtat, morbum omnino in Britannia incognitum fuiſſe, priuſquam Londinenſes in-

---

fievre plus ou moins forte, & les accidens ont varié ſuivant les diſpoſitions intérieures; mais tous les malades ont reſſenti des douleurs dans tous les membres. La plûpart ont été guéris par des ſueurs abondantes. On a été obligé de faire des ſaignées du bras ou du pied à quelques-uns. La maladie a fini quelquefois par une expectoration copieuſe, & a été terminée en général par un ou deux purgatifs. Chez quelques ſujets, elle a dégénéré en pleuréſie ou en peripneumonie, mais ç'à été leur faute, & parce qu'ils n'ont pas voulu s'alliter aſſez-tôt. Quelques Soldats de la Garniſon, qui ont craint d'aller à l'Hôpital, ont été auſſi les victimes de leur répugnance". Gazette de France du 5 Juillet, M.DCC.LXII.

vaſerat; multiſque in oppidis, qui primi ægrotaverint, eos nuper a Londino advenas acceſſiſſe *.

In hac urbe, ſi tabulis publicis fides ſit habenda, funera ſolitum numerum haud multum ſuperarunt, hoc morbo regnante. Tempore quo idem † Manceſtriæ obtinebat, ibi (dictu mirum) ſolito etiam pauciores mortui ſunt. Contra autem Norvici, teſtante medico egregio Gulielmo Offley, qui morbum, iſta in urbe ter ſævientem, curaverit, plures longe illi ſuccubuerunt, quam quos ſimilis omnino peſtis an. M.DCC.XXXIII ‡, aut gravior illa, *influenza* dicta, an. M.DCC.XLIII §, e medio ſuſtulerit.

In hac omni narratione, nihil reconditum aut exquiſitum de induſtria ſectatus ſum. Satis habui, ut

---

* Id nempe animadverſum eſt Norvici, Lincolniæ, Leiceſtriæ, atque Exceſtriæ.

† Id didici ex literis periti admodum Chirurgi, C. White.

‡ Jo. Huxham obſervat. de aëre & morb. epid. vol. i. p. 80. Medical Eſſays publiſhed at Edinburgh, vol. ii. p. 28.

§ Jo. Huxham obſervat. &c. vol. ii. p. 100.

res ipſa, prout ſe habuerit, dilucide, & cum fide deſcriberetur; & (quod præfiſcine dicam) ut juſta aliqua tum morbi, tum curationis, etſi vulgatæ ſatis & quotidianæ, memoria exſtaret.

DE

DYSENTERIA LONDINENSI

An. M.DCC.LXII.

SUB exitum menſis Julii, An. M.DCC.LXII, Dyſenteria epidemica incolas Londinenſes invaſit; morbi genus, hac in civitate novum fere, aut nuperis ſaltem annis inauditum. Præceſſerat æſtuoſa admodum & ſicca tempeſtas; pluviæ autem nonnullæ paucis jam diebus deciderant. Ea peſtis, toto autumni tempore ad Novembrem uſque graſſata, ingentem hominum numerum exercuit; magis quidem pauperum ædiculas infeſtans, quam civium potentiorum domos; infantibus, puerilique ætati, quam adultæ gravior; mollioribus corporibus, iiſque quibus frequens adverſa valetudo, quam duris atque robuſtis plerumque inimicior.

De hoc morbo pauca quædam ſcripturus, ægros primum ipſos lectori ob oculos ſiſtam, variis ejus affectibus, variis dolorum miſeriis laborantes; deinde ad ea tranſibo explicanda, quæ experimentum in ipſis curationibus docuerit atque approbarit.

Accessum mali ſignificabat ſæpius (neque enim id perpetuum erat) ſenſus quidam frigoris extremas partes membrorum permeantis. Hunc protinus inſequebantur capitis vertigo, oculorum caligines, ſtomachi nauſea, amari ructus cum gravitate præcordiorum, vomituſque vireſcentis, aut flaveſcentis, aut etiam rufæ materiæ: mox vehemens inteſtinorum inflatio, vehemens dolor modo ſupra umbilicum, modo ſub umbilico; denique, haud longo intervallo, alvi profuſio repentina, bilioſa, pejoris odoris quam ex conſuetudine. Inde vero parum allevamenti; ſed omnia in deterius ruere. Intendebantur tormina fixa jam & habitantia in imo ventre, paulum ſuper oſſa pubis, & in ea dorſi parte, quæ flexionibus inteſtini coli exadvorſum ſita eſt. Atque hinc ortus eſt conſtans quidam ad deſidendum nixus, eo magis excrucians, quia inexpugnabilis præ impotentia deſidendi. Deſcendebant enim non ex cibo recte

 cocta,

coɛta, ſed nunc pituitæ muciſque ſimilia; nunc, inſtar aquæ, in qua caro recens lota fuerit, leviter ſubcruenta, inodora; nunc quaſi filamenta ſanguinis muco intertexta; quin & purus interdum cruor; interdum, morbo ingraveſcente, putris ſanies. Dolores paulo ante excretionem acerrimi erant; requies a dolore aut nulla, aut exigua ea & fallax, novis cruciatibus illico interpellanda. Vigilia noɛte fere & die continuata. Inflatio abdominis univerſis conſtans, & vix cum morbo ipſo profliganda. De viſcerum depreſſione omnes uno ore conquerebantur; plurimi etiam, quaſi ſentirent aliquod tanquam corporis ſolidioris, quod, cum pondere & mole ſua urgeret, ad dejeɛtionem provocaret *. Quibuſdam nauſea & vomitio moleſtæ erant; ſed non item omnibus: vix autem unus quiſquam repertus eſt, qui febre, faſtidio, & inſomnia vacaret. Nonnullos inſuper vexabat ipſius ani prolapſus, & difficultas urinæ, moleſtiſſimum malum. † Quibuſdam

* Vide Cœl. Aurel. de morb. chron. lib. iv. cap. vi.

† Urina plerumque erat plane ſuppreſſa, ut intra ſex, oɛto, decem, vel quatuordecim dies vix guttam emitterent. Vide Jo. Hartm. Degneri Hiſt. Med. de Dyſenteria &c. quæ Neomagi graſſata fuit A. 1736, pag. 17.

urina

urina vix fluxit per biduum. Nec lumbricos aliquos teretes, inclinato morbo, excludere, aut inſolens erat, aut mali augurii. Cuidam, poſtquam morbus videretur abiturus, abceſſus alicubi in inteſtinis factus eſt; unde profluxit pus, adjuncta debilitate, nauſea, febricula. Hic tamen reſtitutus eſt. In puero, XIV annorum, in ipſam, quod mireris, maniam exiit hæc Dyſenteria, teſte ſummo ac ſingulari viro, Gulielmo Heberden *.

Morbus

* Corpora illa adipoſa, (στέατι συγκοπέντι ἴκελα) membranea, ac carnoſa, quæ, in hoc morbo, ſimul cum ſanguine, ſolent deſcendere, non ſemper exulcerari inteſtina, ſecundum veterum de hac re ſententiam, ſignificant; neque enim ea ſemper ſunt, quæ videntur. Originem horum corporum, pro ſuo more, feliciter exponit vir arte anatomica excellens, Jo. Bapt. Morgagnus; cui ſane multum debemus tum ob alia plurima, tum ob egregium illud opus, quo rem medicam nuperrime locupletavit. "Scilicet ut irritatæ veſicæ glandulæ, ſic glandulæ quoque inteſtinorum plus ſecernunt humoris ſui, eumque non qualem ſolent, cum recte valent. Itaque mucoſa & albida utrobique apparet materia. Quod ſi inſuper ea in ſanguine diſpoſitio ſit, ut facile in polypos coaleſcat, erit ille humor magis ad concreſcendum pronus, eoque magis, ubi ejuſmodi ſanguis in cavum inteſtinorum aut exudans, aut effuſus ad illum ſe addiderit. Sic enim dum ſanguinis pars in coli inteſtini cellulis reſtitabit, ſecedente

Morbus autem minime uniformi tenore procedebat, ſed in diverſis corporibus aliam atque aliam ſpeciem induebat; primis aliquando diebus nullo negotio diſcutiendus, in longum aliquando tractus. Primo neglectus, tractatu aſperior occurrebat: etenim corpus, extenuatum atque confectum, ut morbo ferendo impar erat, ita ipſi impar curationi. Itaque optimum erat occurrere ipſis principiis, atque auxilia mature præripere. In hoc enim corporis affectu aliquod certe in medicina opis eſt, haud multum in naturæ beneficio.

Raro ex hoc emerſerunt malo, qui magnam aliquam ſinceri ſanguinis copiam ex inteſtinis profuderant, &

dente aquea, & ſubſidente rubra portione, eæ, quæ relinquentur, ſanguinis, ut vocant, fibræ, facile poterunt in concretiones polypoſas compingi, quæ ſua albedine, ut toties olim in corde & vaſis fucum fecerunt, & pro pinguedine acceptæ ſunt, ita, mox cum recrementis detruſæ, hic quoque pro pinguedine haberi poterunt.—Hinc & origo intelligitur ramentorum, & grandium, quæ egeri dictæ ſunt, membranarum, facillime autem quorundam ex illis aliis corporibus, quæ carnoſa a Celſo ſunt appellata; ſi videlicet non tota rubra ſanguinis portio ſit ex ejus albis cohærentibus fibris expreſſa. Unde etiam intelligas licet, quam caute uti oporteat illa Hippocratis prædictione: *Dyſenteria laboranti ſi veluti carunculæ exeunt, lethale.*" Vide Jo. Bapt. Morgagni de ſed. & cauſ. morborum, epiſt. xxxi.

poſtea

poſtea frigidas extremas partes haberent. Neque fallax periculi nota, abdomen tumidum, intentum, tractanti reſiſtens. Spem fuiſſe in anguſto, oſtendebant ſitis immodica; lingua arida, ac ſcabra, colore cinereo aut livido; aphthæ; ſingultus. Conclamatum autem omnino erat, ſi deglutire nihil poſſent, aut aquam fœtidam ex ano redderent *.

Non deerant, qui, hoc morbo confecti, inciderent in lævitatem inteſtinorum, vix ulla medicina corrigendam. Plurimos, in iis ſenes in primis, diu moleſte habuit fluxus alvi purulentus, exulceratis inteſtinis, ut videtur, ortus. Atque hi fere in ultimam corporis infirmitatem redacti, lenta morte minutatim abſumebantur. Γῆρας δὲ δυσαλθὲς, καὶ ἐς ὠτειλὴν χρόνιον †."

Neque animadverſione indignum videtur, morbo per populum graſſante, plurimos paſſim interea variis ſtoma-

* Si ſingultus accedat, lethale; ſi angina, lethale; ſi vero accedat difficultas deglutiendi, mortem imminentem prænuntia adſtantibus. G. Baglivi praxeos medicæ lib. 1.

† Aretæi Cappadocis cap. περὶ δυσεντερίης.

chi

chi ventriſque vitiis laboraſſe, qui tamen Dyſenterici haud plane evaſerunt; ſed, poſt dejectiones aliquot bilioſas, ſponte ſua, abſque omni remediorum ope, plerumque convaleſcebant.

Quicunque fructus aut æſtivos, aut autumnales immodice aſſumpſerant, vel nulla tentabantur Dyſenteria, vel, ſi tentarentur, leviſſime ægrotabant. Quod quidem nullo modo prætermittendum videtur, cum plurimi ſcriptores in animum induxerint, morbum, de quo agitur, ipſis hiſce fructibus ortum ſæpe debuiſſe. Inde vero nihil noxæ fuiſſe, teſtatur haud dubia experientiæ fides. Immo & ab aliis accepimus, eos etiam præſenti & ſævienti morbo aliquando in remedium ceſſiſſe. Neque hercule iſta curatio nova eſt, aut antiquioribus medicis incognita: cum Alexander Trallianus memoriæ tradiderit quoſdam, ſuo tempore, damaſcenis, uviſque avide devoratis, celeriter fuiſſe ad ſanitatem perductos. "*Οἶδα γάρ τινας δαμάσκηνα τραφέντας πλείονα, καὶ τελείως ἀποθεραπευθέντας, ἀβιάστως αὐτοῖς τῆς κόπρου διαχωρηθείσης· Καὶ ἄλλους δὲ σταφυλαῖς παμπόλλαις χρησαμένους* *."

* Vide Alexandri Tralliani lib. viii. pag. 458, edit. Baſil.

Pronum jam hinc ad remedia tranſitum facturus quæ proponam, ejuſmodi habenda ſunt, non ut ea ſemper & in omni Dyſenterico, ſed plerumque & longe majori, quod aiunt, ex parte reſpondiſſe teſtis ſim. Utcunque enim ſummi auctores alia atque alia, ad hunc morbum profligandum, tanquam ſola ac ſpecifica venditarint, id demum de quavis medendi methodo vere fatendum eſt, quod Celſus de arte ipſa conjecturali dixerit; "rationem ejus talem eſſe, ut, cum ſæpius aliquando reſponderit, interdum tamen fallat."

Sanguinis detractionem ſupervacuam fore, medicis inſedit diu inveteravitque male fundata, male ominata opinio. Id vero auxilium, inter initia, maxime ſigna aliqua inflammationis ſi adeſſent, nunquam alienum deprehendi. Iterari vero oporteret necne, non, niſi ex corporis habitu, & ex ratione vel adauctæ vel levatæ febris, colligendum. Firmis adhuc viribus, atque conſtanti ætate, intolerabilis aliquis dolor, aut effervefcens febrilis æſtus id præſidii genus nullo non morbi tempore flagitabat. Neque enim prudentis eſt ac circumſpecti medici, timere ne imbecillum reddat ægrotantem, cum capitis res agatur.

VOMITU autem fere ſemper utendum erat; in his morbis perquam neceſſario, quos bilis concitaverit, Celſo auctore. Inter ea vero medicamenta, quæ vomitus cauſa adhibentur, tartarum emeticum, aqua dilutum plurima, præſtantiſſimum longe viſum eſt. Mirum eſt ſane, quantum inde materiæ flavæ ac viridis ſurſum egeri ſoleret, & quanto cum levamine ægrotantium. Nec nihil adjuvabat benignus ille, & per omnia æquabiliter membra diffuſus, ſudor, qui vomitum, hoc remedio evocatum, inſequebatur. Radix quidem illa Braſilienſis, ipecacoanha dicta, raro ſtimuli ſatis ventriculo admovere potuit. Opus viſum eſt acriore aliquo medicamento; quod pleniorem vomitum ſolicitaret, & quod colluvionem, intus reſidentem, concuteret valentius atque exturbaret. Haud equidem ignoro radicem eam "ſpecificum & ferme infallibile remedium in fluxibus dyſentericis * audire:" Nec me latet, nonnullos virtutem quandam in ea alexipharmacam agnoviſſe, qua ſcilicet veneno omni, & omni *malignitati* reſiſtat. Nondum autem experientia edoctus ſum, alia unquam ratione prodeſſe meram ipecacoanham, quam quia

* G. Baglivi praxeos medicæ lib. i. de diarrhœa & dyſenteria.

vomitum

vomitum moveat. Etenim ſi, ut * Gulielmo Piſoni viſum eſt, "vim quoque aſtrictivam poſt ſe relinquat," omnino, ob eam ipſam vim aſtrictivam, male convenit dyſenteriæ. Si vero (quæ eſt doctiſſimi † Freindi conjectura) "in hoc præcipue conſiſtit egregia illa in dyſentericis affectibus virtus, quod uberrimum ſudorem excitare ſoleat;" hic etiam tartaro iſti emetico cedat neceſſe eſt, quod ſane hanc virtutem excitandi ſudores, præ aliis vomendi inſtrumentis, & ſine rivali, poſſidet. Atque harum etiam laudum cumulus accedit, quod, re in ventriculo peracta, ad inteſtina plerumque deſcendat vis tartari emetici, & alvum inſuper, cathartici ad inſtar valentiſſimi, reſolvat. Profecto non eſt dubitandum, quin vitrum antimonii ceratum, in pharmacopœia Edinburgenſi deſcriptum,

---

* Gulielmi Piſonis de Indiæ utriuſque re naturali & medica lib. ii. cap. ix.

† Vide de febribus commentarios Joannis Freind, pag. 40.

Mihi ſane videtur in ipecacoanhæ laudes nimis ſe effudiſſe Degnerus. "Præter effectum ſuum emeticum, ſimul adeo peculiare & ſpecificum quid operatur, ut alia vomitoria eam non facile æquent, nec aliud, quod ejus in locum eodem cum effectu ſuccedat, excogitari poſſit." Degneri lib. citat. pag. 57.

 inde

inde ſolummodo antidyſenterici nomen conſecutum ſit, quod vehementer & vomitu ventriculum, & alvum purgatione ſolicitare ſoleat.

Etenim in hac re nihil agitur, donec inteſtina ad naturalem habitum revertantur. Neceſſe igitur prorſus erat dejectionem quoquo modo moliri. Ea autem primo experiri conveniebat, quibus proprium eſt ventrem invitare potius, quam cogere; & ſimul irritamentum illud, quo aſſidue vexantur inteſtina, diluere, temperare, demulcere: inter quæ infuſum ſenæ, manna, tamarindus, & ſi qua ſunt his ſimilia, facile primas ferunt. Si vero in his parum ſit auxilii; & neque alvi fæces naturales, nec dura illa corpuſcula, *ſcybala* dicta, deſcendant, ad validiora medicamenta, &, ante omnia, ad ſalem catharticum amarum (quo nihil fere quidpiam aut certius aut citius alvo moranti calcar addit) protinus tranſeundum. Rhabarbarum quidem, ut *choleræ & acrioribus quibuſcunque humoribus evacuandis dicatum*, magnopere laudarunt medici quidam recentiores, jure ſuo multi nominis. Sed (pace tantorum virorum) id remedii, inter morbi initia, ex toto condemnandum eſſe videtur. Præter enim id, quod vel effectus ejus leviſſimus, aut plane nullus ſit; vel quod non,

niſi

niſi tardiuſcule, & impotenter, & fere cum augmento torminum atque inflationis officio ſuo fungatur; vis ea alvum contrahendi, qua pollet, tantum abeſt, ut laboranti opituletur, ut vix quidpiam magis poſſit eſſe inimicum. Et quidem nequeo quin ſuſpicer, eos, qui auctores ſunt, ut mercurius dulcis ſublimatus rhabarbaro admiſtus detur, remedium dyſenteriæ tanto minus accommodatum conficere, quanto plus rhabarbari admiſceatur. Longe vero minus illos conſectari vellem, qui rhabarbaro nucem moſchatam, cinnamomum, & alia aromata, hoc eſt oleum camino, adjiciunt; ea nimirum mente, ſi Diis placet, ut roberentur inteſtina, & ut *flatus* diſcutiantur. Inteſtinis enim inflammatione æſtuantibus, eorum robori intempeſtive conſulitur. Fruſtra autem in *flatibus* diſcutiendis operam conterimus; ipſa inflationis cauſa integra adhuc, aut etiam increſcente.

Profuit etiam habuiſſe ea in memoria, quæ * Celſus præceperit; oportere nimirum " ex inferioribus partibus tepidum infundere vel ptiſanæ cremorem, vel lac, vel

* A. Corn. Celſi de Medicina, lib. iv. cap. xv.

adipem

adipem liquatam, vel medullam cervinam, vel oleum, vel aquam, in qua lini ſemen decoctum ſit." Hæc, aut his ſimilia, ano infuſa, eum ad modum, qui facile ſuſtineri poſſet, malum nonnullis tolerabilius reddebant. Neque vero eſt diſſimulandum, non perpetuo, aut in omni ægrotante commode reſpondiſſe hoc remedium. Plurimi enim perpeti non poterant vel leniſſima quæque, hiſce partibus adhibita; quæ quidem ipſa hoc tormenti genus magis magiſque exaſperabant. Quod & a Baglivo animadverſum video. "Clyſteres, inquit, copioſe præſcripti, quandoque exacerbant morbum, & exulceratis inteſtinorum fibris majorem orgaſmum excitant. Dentur igitur rarius & in parva copia."

Visum eſt interea, dum hæc agebantur, per intervalla temporum, ea adhibere remedia, quæ & muci naturalis vice, aliquo ſaltem modo, fungi poſſe viderentur, & parti maxime laboranti ſuccurrere: de quo genere, emulſio amygdalarum, ovi album, amylum, & mucilago illa radicis Salab, etiam antidyſenterica a Degnero dicta, principem locum obtinent. Nulla autem res, declinante morbo, magis adjuvabat, quam medicamenti culinaris confectio, ex lacte bubulo cum recenti adipe decocto, ali-

qua

qua etiam amyli portione adjecta. Id quidem neque guſtui inſuave, & fere ſine aliqua ſtomachi noxa liberaliter aſſumi poterat. Apud incolas Hiberniæ aborigines, mos eſt, a majoribus receptus, Dyſentericis butyrum liquefactum, remedium longo uſu commendatum, dare. Sunt & inter noſtrates, qui ejuſdem cochleare unum aut alterum, ſubinde aſſumptum, ſibi, in hoc morbo, feliciter ceſſiſſe teſtentur *.

Dixerit autem quiſquam: "Cum ſuccum papaveris, præſentiſſimum illud doloris lenimen, mortalibus ægris indulſerit providens natura, prohibetne eum immitis atque immiſericors medicina? Nunquis auſit iſtud remedii repudiare, quod ſibi remediorum omnium primum putabat olim † Sydenhamus?" Equidem conſtanter affirmo,

* Fama proditum fuiſſe, Ludovicum dyſenteriam epidemicam, in exercitu graſſantem, cera alba in lacte calido liquefacta, totam extirpaſſe, memorat Degnerus. Tale quoddam medicamentum (addito ſaponis pauxillo, quo cera ſolubilior fieret) medicis caſtrenſibus, durante bello iſto, quod nuper deſæviit, ex uſu fuiſſe, accepimus.

† Fatetur idem fieri poſſe, ut variæ enaſcantur Dyſenteriarum ſpecies, ut ſunt variolarum, & epidemicorum aliorum, diverſis conſtitutionibus

mo, ſatius eſſe illud omnino non contingere, quam primis diebus temere ingerere. Officium quidem eſt medici, ut celeriter & jucunde; ſed, ſuper omnia, ut tuto curet. Feſtinantem laudo; ita vero, ut non ſit periculoſa feſtinatio. Nollem equidem cubanti tortoris vicem exhibere; neque vero indolentiæ ejus eo uſque conſulere, ut non ſalus ipſa prima ſemper habeatur. Nollem ſuavia, in præſentia quæ ſint, ſectari; neque proſpicere in longitudinem. Quorſum ſcilicet pertinet, paciſci cum hoſte inducias (ſi tamen induciæ impetrari poſſint) breves illas, & infidas, & ipſa prælii contentione magis periculoſas? Quorſum cinerem igni inducere, erupturo? Annon ex opio, iiſque quæ alvum adſtringunt, intempeſtive adhibitis, tympanitidem ortam vidimus? Neque unico exemplo comprobatum fuit, Dyſenteriam hanc, tam imperite tractatam, in epilepſiam, rheumatiſmum, pleuritidem abiiſſe. Morbus, certo certius, & in longum trahebatur, & expugnatu difficilior erat, quoties medicus remedia aliqua, ex papavere parata, prius propinabat, quam

---

tutionibus propriæ, & quæ proinde medendi methodum in aliquibus diverſam ſibi ſuo jure vendicent. Sydenhami opera univerſa, pag. 181, edit. Lug. Bat.

"cibi digeſtio in ſtercoris veniret qualitatem *." Ante id temporis, vel prorſus vitanda erant, vel parciſſime ſaltem adhibenda; nec, niſi cum periculum eſſe videretur, ne æger, dolore ac vigiliis enectus, ſuccumberet, ſi intervalla aliqua quietis conciliari non poſſent. Quemadmodum præcepit olim Alexander Trallianus, *τούτοις οὖν πάνυ κεχρῆσθαι οὐ συμβουλεύω, δίχα πολλῆς ἀνάγκης* †. Quam primum vero alvi excretiones naturali ſe more quodammodo haberent, jam tandem laudanum illud Sydenhami non modo tutum fuiſſe confiteor, ſed etiam aliquando, ad conſummandam curationem, magnopere neceſſarium contendo.

---

* Cæl. Aurel. de morb. chron. lib. iv. cap. vi.

† *Οἱ πλεῖστοι τῶν ἀπειρῶν Ἰατρῶν, αὐτίκα κατ᾽ ἀρχὰς τοῦ πάθους, τροχισκοὺς, ἢ ἀντίδοτα διὰ ὀπίου, ἢ ὑοσκυάμου, ἢ μηκωνείου μέλανος, ἢ μανδραγόρας δίδοναι τολμῶσι, τῷ ὕπνῳ ἐπωδυνίαν πραΰνεσθαι φάσκοντες· σφάλλονται δὲ, ὁρῶντες τοὺς νοσοῦντας, προσληφθείσης πόσεως, ὅλην νύκτα ὑπνεῖν, καὶ τὴν γαστέρα ἀναστέλλεσθαι· τῆς δὲ ἡμέρας ἀνατελλομένης, σπουδὴ μάταιος καταλαμβάνεται· τοιαῦτα γὰρ φάρμακα, τοὺς χυμοὺς εἰς ἓν ἀθροίζοντα, ἀδιαλείπτως ἐκκρίνει, καὶ τὴν κεφαλὴν βαρύνοντα, καὶ τὰς δυνάμεις βλάπτοντα, τὴν κοιλίαν πλέον ῥευματίζειν ποιεῖ, καὶ ἀνορεξίαν μείζονα ἐπιφέρει.* Alex. Trall. lib. viii. p. 444. edit. Baſil.

Ac nec illud quidem alienum, cataplaſmata calida, quæ molliunt, ſuper ventrem imponere, & fomenta adhibere tum humida, tum ſicca. Cum itaque balneum tepidum in calculo renum, & in colica (cui ſane propinqua quædam cognatio eſt Dyſenteriæ) tam præſens eſſe remedium deprehendatur, ſi quid & in hoc affectu valere poſſet, ſemel periculum fecimus. Experimentum autem feliciter atque ex voto ceſſit. Ægrotanti, quem, per univerſam hebdomadam, male habuerat Dyſenteria, in aquam demiſſo, dolor illico omnis conquievit: alvus large reſoluta eſt: facilis inde ad bonam valetudinem recurſus.

Quod ad rationem victus pertinet (cujus quidem rei paulo ſubtilior obſervatio multum admodum tum in aliis corporis morbis, tum in hoc adprime utilis eſt) is tenuis eſſe debebat, & leviſſimæ materiæ; præcipue ex iis, quæ emolliunt, quæque intus haud facile corrumpuntur. Oportebat igitur carnem omnino omnem cibo ſubtrahere; &, primis diebus, ne jus aliquod vel e pullis indulgere. Sorbitionibus utendum erat ptiſanæ, vel alicæ, vel oryzæ, omnibuſque quot-

quot

quot ex * lacte comparari ſolent; eo quod lac mitiſſimum alimenti genus præſtet, quodque ventrem emolliat ſimul ac liquet. Nec minimum laudis merebatur † ſerum illud lactis vulgare (cui ſane multum antiqui medici tribuerunt) neutiquam certe contemnendum, quod parabile ſit, & vilis pretii; cum, miſturis medicamentorum

---

* Diocles in libris, quos de paſſionibus, atque cauſis, & curationibus ſcripſit, lac ordinat cum melle bibendum, ventrem provocans in fluorem. Item utitur ptiſana cum adipe ſorbenda. Praxagoras ſtatuit ventrem deducendum peplio & lacte plurimo, cum mulſo—& aqua ſalſa, & ſucco Betæ, & oleo cum mulſo. Offert farinam cum lacte coctam, quæ indigeſtibilis probatur: Sic etiam tritici ptiſanam cum cantabro. Cæl. Aurel. loc. citat.

† Solo ſero lactis Dyſenterias ſæpiſſime profligavi. Multi auctores pro magno ſecreto habent hoc remedium in Dyſenteriis. G. Baglivi praxeos med. lib. i.

Cum an. 1726, hic & in vicinis urbibus, maxime Altenburgi, ſæviret Dyſenteria, qua multi perierunt; ipſi ruſtici, ſpretis omnibus pharmaceuticis, quæ maxima ex parte erant calidiora, ſero lactis, item lacte ebutyrato per totum morbi decurſum utebantur, & præ aliis feliciſſime evaſerunt. F. Hoffmani med. rat. ſyſt. tom. iv. ſect. ii. cap. vii.

 quibuſcunque

quibuſcunque palmam aliquando præripiat. Etenim corruptæ miſcuiſſe novam & ſinceram materiam proderat. Proderat (ut loquar cum Sydenhamo) hoc leniſſimo liquore, morbum tanquam diluvio ſubmergere.

Persæpe accidebat, ut, morbo jam fatiſcente, inteſtinum rectum crudeli admodum teneſmo cruciaretur. Id autem mali ſua ſponte, velut fluctus poſt tempeſtatem, ſubſidebat. " Tolerandum itaque erat ægroto, donec revocari poſſent vires; quibus redeuntibus, pari paſſu proripiebat ſe hoc teneſmi ſymptoma *."

Si in ullo corporis affectu alicujus pretii habeatur illud Celſi præceptum, " in conclavi quam maximo æger cubare d bet, quo multum & purum aërem trahere poſſit," in hoc certe habendum erat vel maximi. Neque minus conveniebat ſedulo operam dare, ut in omni re, munditiæ, quantum fieri potuit, exquiſitæ ſtuderetur. Id quidem tum cubanti ſalutare, tum etiam miniſtris magnopere neceſſarium. Quanquam enim in ædibus civium locu-

* Sydenhami opera univerſa, p. 189, edit. Lug. Bat.

pletiorum

pletiorum raro propagari viſa ſit hæc noſtra Dyſenteria, longe alia tamen, & miſerior ſors erat immundæ paupertati; neque omnino dubitandum, quin, in infimis de plebe familiis, diſſeminaretur contagio, &, peſtilentiæ ritu, ab alio corpore ad aliud tranſiret.

Ubi jam eſſe in tuto videbantur omnia, præcipue verendum tamen erat, ne in eundem morbum denuo reciderent incauti nimis & improvidi, & fiducia ſecundæ valetudinis abuſi. Diu igitur vitare oportebat deſtillationes, & cruditates: Diu aſſumendi cibi faciles, & qui ventriculo ſimplices ſederent. Tarde enim confirmabantur inteſtina; nec facile erat morbum, reliquiis ſuis pertinaciter inhærentem, funditus penituſque elidere. Aqua, in qua lignum campechenſe incoctum fuerat, convaleſcentibus ſalutare erat præſidium*. Cortex peruvianus, niſi inteſtinis jam ad aliquam firmitatem reſtitutis, adeo nihil proficiebat, ut aliquando multum etiam malo adjiceret: eo autem opportune dato nihil prius, aut ad refectionem corporis efficacius. Equo vehi plurimis pro remedio erat.

* Cortex Guianeus, ſimarouba, haud, ullo morbi tempore, medicorum votis reſpondit.

Ineunte menſe Octobri, An. M.DCC.LXII, cadaver hominis Dyſenteria extincti ſecuit vir & ingenio & modeſtia ſingulari, Gulielmus Hewſon, celeberrimo Huntero noſtro in re anatomica ſocius atque adjutor. Ille hæc, a ſe animadverſa, mecum humaniſſime communicavit; quæ, cum ad penitiorem morbi cognitionem adprime faciant, lectori minime ſunt invidenda.

" Intestinis, inquit vir diligens & acutus, conſpectui ſubjectis, eorum parietes mole admodum auctos percepi; aliquibus etiam in locis coarctatos. Ea cum forfice ſurſum verſus aperueram, facies interior recti, coli, & cæci, & particulæ etiam alicujus extremi ilëi livida viſa eſt, inteſtinum ſphacelo corruptum haud male referens. Iſtam vero livoris ſpeciem haud aliud induxerat, quam mucus quidam inteſtinis hiſce ubique illitus, aterrimo colore, ſanguinique omnino ſimilis, qui, e vena diutius emiſſus, jam prorſus computruerit. Inquiſitione diligentius facta, faciem eam inteſtinorum interiorem ingenti tuberculorum numero obſeſſam vidi; quæ puſtulis quidem variolarum magis inter ſe inæqualia fuerunt, ad cætera vero haud multum abſimilia. Muco penitus abſterſo, nulla membrana, ſuperficiem quæ tegeret, inventa eſt.

eſt. Hæc tubercula digitis quoties preſſi, ex iis pauxillulum quiddam liquoris cruenti exudavit. Incidens, ſolida ea inveni: et primo quidem aliqua mihi oborta eſt ſuſpicio, ea non alia fuiſſe, quam corpuſcula fungoſa ex ulceribus quibuſdam oriunda. Sed cum ſtatuiſſem eorum naturam quanta poſſem diligentia inveſtigare, nihil tandem explorati de re perdifficili atque obſcura auſus ſum ſatis decernere. Tunica illa inteſtini, quæ a peritonæo oritur, & altera illa, muſcularis dicta, ſolito quidem craſſiores, integræ tamen inventæ ſunt. Tunica cellularis & villoſa adeo inter ſe confuſæ fuerunt, adeoque denſatæ vi inflammationis, ut utrum a cellulari tunica (interna ſcilicet prius deſtructa) ortum duxerint hæc tubercula; an ea tunicæ villoſæ ſolummodo concretiones extiterint, omnino incertus hæſerim.

Animadversum eſt tubercula per omnem internam ſuperficiem craſſiorum inteſtinorum minime æquali ratione ſparſa fuiſſe; in altera parte plura, in altera pauciora inventa.

In craſſioribus inteſtinis nihil ſtercoris fuit. Quod ad inteſtina tenuia pertinet, & ad alia viſcera abdominis; ea

quidem

quidem nihil præter naturam conſpectui noſtro obtulerunt.

Particula extremi coli, aqua diu macerata, albiſſima tandem facta eſt, perinde ac ſi perfecta ei ſanitas contigiſſet. Neque enim ſolum mucus ater ille, ſed etiam ſanguis univerſus, quicunque aut in vaſis, aut in ſpatio, partibus interjecto, hæſerat, omnino ablutus eſt. Atrum itaque illum muci colorem, neutiquam ex ſphacelo ortum fuiſſe, ſatis hoc argumento opinor patere. Particula extremi coli memorata, in muſeo anatomico Hunteriano aſſervatur.

Haud longo temporis intervallo, viri generoſi, eodem morbo extincti, cadaver ſecui: huic autem operi interfuit medicus doctiſſimus, Joannes Pringle. In hoc corpore, craſſiora inteſtina prope eadem omnia, quæ in altera hiſtoria fuſius deſcripſi, repræſentarunt. Hic vero tubercula non tam ſibi invicem contigua, & etiam pauciora invenimus. Neque adeo evidenter patuit, eorum ſuperficiei nullam obductam fuiſſe membranam. In cæteris, quantum pertinuit ad inteſtina, alterius alteri cadaveri ſimilitudo fuit abſoluta."

Coronidem huic, quicquid eſt operis, imponent literæ, quas ad me, de hac ipſa re, dederit vir, ingenii laude inter primos florens, Charltonus Wollaſton. Ille nuperrime II cadaverum dyſentericorum alvum ſecuit; laudabili eo conſilio, ut, quæ præcipue morbi ſedes eſſet, quænam viſcerum partes veſtigia ejus impreſſa retinerent, certiorem ſe faceret. Cumque omnia, a ſe animadverſa, mecum humaniter communicaverit, eadem publici juris lubenter facio, & harum rerum ſtudioſis expendenda in manus trado.

GEORGIO BAKER, M.D.

CHARLTONUS WOLLASTON

S.

CUM te, vir amiciſſime, de Dyſenteria epidemica, quæ Londini Anno M.DCC.LXII ſæviit, commentarium conficere intellexerim; rem nec tibi ingratam, nec a vitæ meæ inſtituto alienam, me facturum opinatus ſum, ſi tibi impertirem quid mihi de ſede Dyſenteriæ anatomia nuperrime patefecerit; duorum nautarum dyſentericorum cadavera dum inciderem. Eo lubentius ad hanc opellam me accinxi, quod non multæ editæ ſint obſervationes, a cadaveribus eorum, qui huic morbo ſuccubuerunt, deſumptæ; & quod probabile hinc videatur, Dyſenteriæ epidemicæ Londinenſis eandem omnino fuiſſe naturam, ac illius, quæ tot nautas, & milites, quotannis tollit. In his enim nautis (qui e navi oneraria, in qua morbus diutius jam ſævierat, ad noſocomium noſtrum delati ſunt) eadem aderat contractio inteſ-

tini

tini coli, & recti, idem morbus tunicæ internæ villoſæ horum inteſtinorum, eadem tubercula fungoſa, ac in iis cadaveribus, quæ ſecuit Hewſonus noſter.

Eorum alter (annos circiter quadraginta natus) morbo jam per ſeſquimenſem implicitus fuerat. Diarrhœa incruenta primo correptus eſt; nullo comitante dolore, nullo teneſmo. Quum per aliquot jam dies duraſſet diarrhœa, dolor ortus eſt inter umbilicum & oſſa pubis. Ex eo tempore perpetua erat dejiciendi cupiditas, cum ſummo cruciatu in inteſtino recto; merus vero ſanguis, aut mucus, alvo redditus. Per integrum menſem his malis conflictato, corpus perquam imbecillum factum eſt. Cum ad nos delatus eſſet, pulſus vix ſentiri potuit; lingua quam maxime arida; dentes, & labia, humore nigro inhærente deturpata; manus frigidæ. Denique poſt quinque dies mortem obiit.

Mortui cadaver ſecuimus. In membrana cellulari, ut & in omento, vix quidpiam adipis invenimus. Inteſtina tenuia morbo parum affecta; niſi quod tunica externa magis rubra quam ex conſuetudine fuerit, & hic illic colore nigro imbuta. Inteſtinum tamen vix

gangræna correptum, aut ſaltem vix minus firmum viſum eſt, quam pars iſta inteſtini, ubi color non mutatus perſtiterat. In inteſtino jejuno (decem circiter pollices infra duodenum) inſignis fuit inteſtini, quod dicimus, intuſ-ſuſceptio: nulla tamen ibi inflammationis, aut gangrænæ, nota. Nihil omnino ſanguinis, aut muci ſanguinei, in inteſtinis tenuibus. Pars ima inteſtini ileï inflammationis ſigna magis evidentia exhibuit. Tunica interna villoſa quam maxime rubra: tunica autem externa nigerrima. Inteſtinum cæcum aëre diſtentum. Colon vero totum & rectum mire contractum; adeo ut vel hujus vel illius inteſtini diameter nuſquam tres quartas partes pollicis æquaverit; quibuſdam in locis etiam in minorem molem contracta. Tunica externa albiſſima. Inteſtino colo & recto e corpore exciſis, & ſecundum longitudinem ſectis, in conſpectum venit tunica interna villoſa, muco ſanguineo obducta: hoc muco ſpongia deterſo, in tunica villoſa non leves morbi notas invenimus: tota enim referta fuit tuberculis; hinc rotundis, parvulis, rubris; inde latis, fungoſis, eminentibus; quæ viſa ſunt conflari ex tuberculis quamplurimis parvulis, in eminentiam unam fungoſam coëuntibus. Inter hæc tubercula pars quædam tunicæ villoſæ ſanam quibuſdam in locis ſeſe

obtulit.

obtulit. Præter hæc tubercula rubra, maculas quaſdam vidimus parvulas, rotundas, nigras, petechiis illis, inter exanthemata varioloſa aliquando obſervatis, ſimillimas. Totum inteſtinum rectum, & pars ima inteſtini coli, tuberculis hiſce rubris abundarunt; at nullas ibi maculas nigras vidi: per reliquam vero partem inteſtini coli, & tubercula rubra fungoſa, & maculas nigras, huc illuc ſparſas. Icones duas ſubjeci huic epiſtolæ, ut res, fortaſſis obſcura, nec quidem verbis facile deſcribenda, inde dilucidior reddatur. In Tab. I. depingitur portio inteſtini recti diſciſſi, & quaſi inverſi; ut tubercula, tunicam internam villoſam obſidentia, magis manifeſta ſint. In Tab. II. portio inteſtini coli diſciſſi depingitur; ut maculæ nigræ, inter tubercula diſperſæ, ſub oculis pateant. Portio hæc inteſtini e media parte tranſverſæ flexuræ coli diſſecta fuit. Inteſtinum & hoc & illud in muſeo Hunteriano ſervatur. In aliis locis inteſtini coli, nec maculæ nigræ, nec tubercula fungoſa adeo crebra apparuerunt. Nihil omnino ſtercoris, ſcybala nulla in toto tubo inteſtinali inventa ſunt: biduo tamen ante mortem, poſtquam pauxillum ſalis cathartici aſſumpſiſſet, ſtercus aliquod, muco & ſanguine commiſtum dejecit. Hepar magnum, & ima pars ejus, inteſtino colo proxima,

ma, colore nigro fuit; parti tamen interiori hepatis naturalis color. Veſica fellis quam maxime turgida, bile repleta, at coloris flavi, oleoſi; oleum olivarum, aut albumen ovi, cum pauxillo vitelli commiſtum, potius quam bilem cyſticam referente. Juvenis quidam, qui huic ſectioni affuit, bilis tantillum delibare auſus, eam ſaporis omnino dulcis deprehendit. Cætera omnia viſcera abdominalia ſana reperta ſunt; niſi quod meſenterium coloris nimium rubri videretur, & adipe omnino vacuum. Sanguis in vena cava fluidus, & coloris nigerrimi.

Alter nauta, quum morbo jam per unum & viginti dies laboraſſet, ad nos delatus eſt. Ætas hujus hominis vix quinquageſimum annum exceſſerat. Ille, jam per aliquot dies febre detentus, forte fortuna in mare delapſus eſt; & diu nando ægre ſe incolumem præſtitit. Ea ipſa nocte qua id acciderat, dolore ſummo in abdomine correptus fuit, & febre: inde dyſentericus evaſit. Multum & ſanguinis, & muci dejecit; ſtercoris omnino nihil. Perpetua autem fuit deſidendi cupiditas, dolorque in ano. De angore etiam ſummo conqueſtus eſt in medio dorſo, & ad regionem ventriculi; ut & de dolore in veſica urinaria. Urinam ſcilicet ſanguine tinctam per aliquot jam menſes

reddiderat.

reddiderat. Septimo die poſtquam in noſocomium venerat, periit. Per triduum jam ex toto diſcuſſus fuerat dolor; pulſus tamen tremulus, & abdomen tumidum, & intentum, viſcera gangræna correpta fuiſſe, haud fallaci teſtimonio indicavere.

Mortui cadaver die ſequenti ſecuimus. Inteſtina craſſa adeo ſphacelata fuere, ut ex odore teterrimo, inde orto, vix potuerimus ſubtiliorem obſervationem ſectioni anatomicæ adhibere. Inteſtina tenuia omnino illæſa invenimus; nullæ aderant maculæ nigræ, inflammationis nullæ notæ. Inteſtinum cæcum aëre diſtentum fuit: coli quoque flexura tranſverſa diſtenta, & ſphacelo adeo exeſa, ut per foramina quatuor, vel quinque, lata, materia fuſca, gangrænoſa, odore teterrimo, cum fæcibus alvinis commiſta, in cavum abdominis effluxiſſet. Tota hæc coli pars hepati, lieni, & ventriculo connexa, & gangræna penitus corrupta fuit: unde factum eſt, ut neque inteſtinum e cadavere eximere, neque tunicam internam in hac parte accuratius contemplari, liceret. Partem reliquam coli, ſicut in altero cadavere, arcte contractam invenimus; ut & rectum; tunicam externam albam; tunicam quoque internam villoſam, muco ſanguineo

guineo obductam. Tubercula fungoſa viſa ſunt; at non adeo crebra, neque adeo lata, aut alta, ac in altero cadavere. Maculas nigras nullas vidimus.

HEPAR omnino ſanum fuit; ut & cyſtis fellea, & bilis ipſa. Veſica urinaria magna, & durior ſolito; præcipue pars ejus poſterior, recto contigua; ubi tumor ſcirrhoſus inventus eſt, ovum gallinaceum magnitudine æquans. Nullus calculus vel in veſica, vel in ureteribus, vel in renibus: quod notatu dignum mihi viſum eſt; miſer enim, ut ſupra monui, ſanguinem cum urina per menſes aliquot reddiderat. Vale.

Dabam Londini, Prid. Kal. Jan. M.DCC.LXIV.

E R R A T A.

Pag.	Lin.	
5.	14.	*pro* interdum quoque *lege* interdum.
8.	21.	*pro*]ib. *lege* lib.
20.	18.	*pro* Cœl. *lege* Cæl.
29.	12.	*pro* roberentur *lege* roborentur.
36.	13.	*pro* d bet *lege* debet.
47.	5.	*pro* indicavere *lege* indicaverant.

TAB. I



TAB.

